THEOLOGIAE LVTHERANAE TRIMEMBRIS EPITOME.

De topicis prędicamentis seu principijs Theologiæ Lutheranę.

De materia præsentium controuersiarum Luther.

De successione & concordia discipulorum Lutheri in confessione August.

Propositæ Vuormaciæ durante Colloquio per Frid. Staphylum, Regis Rom. Consiliarium.

COLONIAE.
Apud Maternum Cholinum.
Anno 1558.

Ametsi quidē ea pernicies atque vis mali est, non vt quidem omne, sed vt bonum aliquod corrumpere possit, nullum efficere: tamē haud dubiè εἰς μέγα προτόβημα φύσεως euenit, vt Aristoteles inquit, quòd, sicuti bonum est sui conseruatiuum, ita sui destructiuum, malum. Quo fit, vt tam boni quàm mali duæ sint proprietates: huius, vt malitiam suam queat, & alienum bonū, in quo hæret, corrūpere: illius, vt se ipsum pariter atque sui similia conseruet. Mali quidem pernicies lōgè patet & fusè. sed non cuncta sunt huius loci, nisi tantum, quātum iam malum hæreseos cœpit deprauare bonū catholicæ fidei: & hoc vicissim

illi obsistere, pensitare in vtranque partem quàm succinctissimè. Quòniam verò nemo negat, quin doctrina catholicæ fidei sit veritas,& idcirco bonũ etiam:contraq;,quin hæresis sit falsitas,& malum igitur. Proinde cùm huius malum nõ possit non,nisi in illius bono,existere, sequi oportebat,vt præsentis hæreseos malum aliquo modo depraua ret bonũ catholicæ fidei. Id autem quale sit, & quãtum in Germania, non tam argumẽtis opus est,quàm miserabilibus Ecclesiæ lachrymis demonstrare. Germaniã verò,quacunq; contueare (vniuersam enim si placet, percurre) nihil est, quod non vastatum, quod non peruersum,& loco motum suo: quod nõ vetustatem reliquerit,nouitatis susceperit perfidiam:quod nõ ærumnosum

nosum, miserum, plenum odii, plenum inuidiæ, periculi, exitiosæ calamitatis: quod nō eò spectet, cùm humana & diuina permixta sint, vt breui ruitura omnia videantur. Quid ergo malum hæreseos agat, rogas? Corrumpit nimirū, destruit, peruertit ea, quæ potest omnia. Exemplis non vtar alienis, domesticis abundamus. Olim fides catholica compleuit Germaniam templis diuorum, opes suppeditauit & copias, quantum satis erat, vel ad necessitatem vel honestatem vitæ. Hæreses contrà, templa spoliauerunt, ecclesiam defœdauerunt, eripuerunt facultates, ad miseriam cunctos, & ad paupertatem extremam ecclesiasticos curatores redegerunt. Adeoq; res ista manifesta est, vt non necessarium sit rogare, quo in loco

recens Euangelium regnet: saltem aspice templa, mores populi considera, & cultum vitæ, ecclesiæ faciem contemplare: mox succurret vel tacenti etiam, vtrius fidei, catholicæne, an huius nouæ admodum nuper ortæ, sit conseruare, quod boni proprium est: aut destruere, quod mali. Ex rusticis perquire, percunctare à ciuibus, an sub papistico dominio (vtor illorum vocabulo) an sub euangelico agros colere, remque curare familiarem, ac vitam degere malint. Quid responsuri sint, res ipsa testatur: agri enim & domus multò frequentiùs hîc, quàm illic audiuntur venales reperiri: vnde iudicium feceris de fructu fidei atq; doctrinæ.

Altera mali pernicies est, se ipsum destruere. Quod ideo ne-

ceſſe eſt, cùm eius proprium ſit deprauare atque redigere in nihilum: quia, vbi ab eo bono, in quo hæſerat, excuſſum ſit, in ſe conuerſum cogitur ſæuire, & ipſum ſe tandem conſumere. Nota hiſtoria eſt de turri Babylonica. In cuius confuſione cùm Deus ſubtraxiſſet bonum communis linguæ, qua vniuerſi vtebantur, ipſamet in ſingulis confuſio, fuit non incerta inchoati mali operis deſtructio. Quid ipſum denique populum Iudaicum deleuit, niſi ſua ipſorum inter ſeſe malitia atq; peruicacia? Quid Græciã euertit, quid extinxit Thraciã, quid Mœſiam obtriuit, quid Vngariam? Profectò nihil aliud, niſi ipſorummet tum in Deum & religionem impietas, tum in reges ſuos atq; imperatores

immodica perfidia? Non Deus ea-
rum exitialium calamitatum autor,
fuit, sed sua istarum gentium pro-
pria malignitas, planeq́; (vt Home-
rus canit de prauitate sociorum V-
lyssis) σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο. De
Germania verò nostra quid aliud
nos expectamus? Vtinam verò mi-
nimè: at vereor equidem, ne idem
penitus. Romana ecclesia quondã
nobis Germanis eam, quã ab Apo-
stolis accepit, catholicam fidem tra
didit, & vnà Romanũ imperium.
Atqui fides illa dũ catholica apud
nos & incorrupta vigeret, dum de
ea idem Sacerdos, nõ diuersum sen
tiret populus, dum feralia ista dis-
cordiarum nomina, Lutherus, Me
lanthon, Caluinus, Illyricus, igno-
ta nobis essent, nec hisce factionũ
studiis dedita esset plebs: florebat
tum

tum in Germania imperium Romanum: erat tum sancta in populo disciplina, salutaris iustitia in principibus, humilis obedientia in subditis: tum eramus domi concordes & beati, foris hostibus terribiles, vicinis amici, domesticis chari: & vt vno verbo dicam, Deus tum in nobis habitabat, exulabat regnũ Sathanæ. At quò discordia ciues perduxit miseros? Odisse cœpimus (quid odisse?) delere conati sumus ecclesiam catholicam, matrem videlicet, & ad rectè beateq; viuendum magistram: fidemq; pariter filiam eius constuprare tentauimus tot penè diuersarum hęresium phil tris, quot iam passim sectarum duces (lenones propemodum dixerã) nominari audimus. Impleuit eccle sia Romana tanquam salutare Dei

organum, pectora nostra virtute & gratia: mores honestos docuit, & bene viuendi modum: artem medendi tradidit: iura & leges constituit: imperium apud nos instauravit: denique adeò studiosè hanc gentem nostram exornauit, vt nullam aliam studiosiùs. At verò quid nos cõtrà? Tædet reminiscì, pudet dicere: πάντα γὰρ ὄιχεται, vt ille inquit.

Duo quidẽ aduersus duplicem istam mali pestem semper extiterunt antidota: vnum, vt aut opposito contrario bono, coneris malum tollere: alterum, aut si id nequeas, ipsum bonum studeas, in quo malum hæret, auferre: vt hoc à bono separatum, & in se derelictum, tandem (quia corrumpendi finem nescit) seipsum delere cogatur. Ecclesia autem hactenus,

vt

vtpia mater, & non iners medica, ſedulò conata eſt mederi iſtis χρεωνίοις hæreſium malis in Germania, oppoſito ſalutaris doctrinæ remedio: vt ad legitimę medicationis canonem contraria contrariis curaret: at fruſtrà penitus, nihil enim profecit hucuſque. Quid igitur? Ceſſabit? Ab hoc genere quidem: ſed alterum reſtat genus antidoti, vt quando prius parùm fuerit efficax, connitatur Eccleſia id bonum, in quo malum ſitum eſt, ſeparatum abſtrahere, & malum nudum in ſe ſolo derelictum ſinere, vt ſemetipſum corrumpat, atque in nihilum conuertat: ea nanque in magnis hæreſium malis ſemper præcipua fuit curatio.

Quapropter id nunc ſolùm reſtare videtur, quod etiam omnibus

bus piis cordatisq; viris à Deo petendum est, vt quicquid boni adhuc in Lutherana hæresi vel ab ecclesia Romana, vel ab ipsa fide catholica residuum est, aut ipsi Lutherani id primo quoq; tempore profligent abs se, aut nos, quãto possumus studio, ab illis subducere conemur. Sanctè equidem promiserim (nec me falsum iri cõfido) fore, si catholica ecclesia ea cũcta, quæ illius propria sunt, receperit à Lutheranis, vt, quemadmodum Plutarchus in cãtharidibus animaduertit, sic Lutherani quoq; ex se ipsis pestis suæ remedium habituri sint, quippe suis hæresibus certum quidẽ exitium, nobis verò remediũ salutare: vnde hæ istæ contentiones tãdem finem queant, & suam Ecclesia pacem adipisci.

Alia

Alia nunc via nulla reperitur: quandoquidem ſemper fermè bellum hæreticorum, vt D. Hilarius inquit, ſolet eſſe pax Eccleſiæ: id quod non leui, ſed grauiſsima de cauſa nobis licet conſtituere. Etenim quia bonum à Deo eſt, rationem ergo quandam habet infinitatis propter ordinem diuinæ legis: malum contrà, quia à Sathana prodiit & ab homine, finitum itaque. Quocirca cùm finitum neq; principium infiniti poſsit, neq; finem excedere, nec profectò malum vnquã poterit vniuerſale bonum ſeu τὸ καθόλου corrumpere omnino. Rectè igitur apud Euripidem Theſeus ratiocinatur:

Εγὼ δὲ τούτοις ἀντίαν γνώμην ἔχω,
Πλείω τὰ χρηστὰ τῶν κακῶν εἶναι βροτοῖς,
Ει μὴ γὰρ ἦν τόδ', ὀνκ ἂν ἦμεν ἐν φάει.

Neq;

Neq; verius aliquod poteſt, neque euidentius pro ſtabilitate boni aduerſus mali ruinã afferri documentum, q̃ quod attulit Euripides, cũ ait: οὐκ ἂν ἦμεν ἐν φάει. Principiorũ probatio ſolet eſſe talis. Nã ſi ita eſſet, vt ipſe Theſeus ſibi obiecit,

Ἔλεξε γὰρ τὶς, ὡς τὰ χείρονα
Πλείω βροτοῖσιν ἐστὶ τῶν κακῶν:

Non poſſet non bonum, aut potiùs ipſe Deus, ſicut Manichęi impiè nugabantur, in ſummo verſari periculo interitus. At contrariũ, quia ratio nobis dictitat, communis experientia euicit iam pridem. Conſtanter itaque aſſerimus, mali nunquã poſſe tantam eſſe vim, vt queat vniuerſale bonum delere.

Quin eiuſdẽ argumẽti firmitate, catholicę doctrinę veritas aduerſus omnẽ hæreſim defenditur: etenim

nim quis neget catholicæ fidei veritatem esse bonũ, & bonum quidem Catholicũ, cui insita sit ratio quædam vniuersitatis infinitæ? Vicissimq;, quin hæresis sit falsitas, & idcirco malum quoque? Proinde quantumuis insaniant, quantũuis sæuiãt hæretici crudeliter: nunquã tamẽ malitia suarũ hæresium hoc, quod tuemur, bonum Catholicæ fidei extirpabunt: licet ægrotare ali quãdiu possit veritas, vt ille inquit, certè neque extingui poterit, neq; mori vllo vnquam tempore.

Propugnemus itaque & conseruemus Catholicæ doctrinæ bonũ per se, sponteq; sua cõseruatiuum sui: & quô id opportuniꝰ possimus constantiusque præstare, vt hæreticos, quemadmodum D. Paulus, & ipse Redemptor Christus iubet,

vitemus

vitemus oportebit: idq; adeò etiá, ne illis, tanquam publicanis Aue dixerimus quidem: quippe vt ſubtracto communi bono noſtro, priuato malo hęreſium ne inficiamur, & pereamus ſpõtanea ſuſceptę peſtis contagione.

Atqui ſecernam, inquis, bonum à malo, vt hoc vitare, illud aſſumere queam? Nota euidens eſt, ſi hoc, quod ſuprà poſuimus, diſcrimen boni ac mali teneas. Si boni eſt proprium, vt ſe ſuiq́ue ſimilia conſeruet: ergo etiam, vt ſe conſociet, ſe vniat, ſe ſumma complectetur concordia: vtq; omnẽ vitet diſcordiá, omnem repudiet diſsipationem, nihil admittat, quod aduerſitatem corruptelasq; procreare poſſet. Ea quidẽ nota boni eſt. Mali indicium eſt eiuſmodi: quoniã ſi mali eſt deſtruere

ſtruere & ipſum ſe, & alia pariter, neceſſe eſt quoque, vt ſe diſſocíet, vt diuidat aut frágat potiùs: vt quod vnum eſt, diſtrahat in multa: quod conſentiens, faciat diſcors atq; rebelle: quod conſtans ſuiq́ue ſimile, diſsimillimum efficiat, & in omnẽ partem dubium. Quocirca veritatem, bonumq́ue Catholicæ doctrinæ forſitan noſſe vis? Quære conſenſum Catholicum, eumq́ue ſenſum ſequere, atq; intellectum ſcripturę ſacrę, qui vbiq; viget in Chriſtiano orbe, qui ſemper fuit inde ab Apoſtolicis temporibus. Hæreſin ſcire vis etiam? Vide, vbi in doctrina diſcordia, vbi hodie ſic, heri aliter, cras ſecùs de eodem quidem articulo, diuerſum tamen docetur, contrarium aſſeueratur, aliudq́ue alio in loco, nec idem eodem aut

diuerso etiam tẽpore, proferatur: nec dubites, quin ibi si hãc notam deprehenderis, te hęresin omnino deprehendisse: sin illam, planè veritatem doctrinæ catholicæ. Atque ne ego hæc dicere videar leuiter, tu temerè credere, aliquot tum diuini verbi aperta testimonia, tum sanctorum Patrum enarrationes subiungam, ne possis hac in re, quam viam Catholicæ veritatis sequi debeas, quod vitare hæreseos diuerticulum, ambigere.

NOTÆ ALIQVOT HÆresium ex scriptura sacra.

3. Reg. 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum: Si Baal, sequimini hunc.

Prouerb. 9. Mulier stulta & clamosa

mosa, plenaque illecebris, nihil sciens, sedet in foribus domus suę super sellam in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes per viam, & pergentes in itinere suo. Quis est paruulus? inclinet ad me. Et ad vecordē locuta est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ignorauit ille, quòd ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius. Qui enim applicabitur illi, descendet ad inferos: qui abscesserit ab ea, saluabitur.

1. Ioannis 2. Pueri, extrema hora est, quemadmodum audistis, quòd Antichristus veniet. Et nunc multi Antichristi sunt. Vnde cognoscimus, quòd extrema hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.

Tit. 3. Hæreticum hominẽ post vnam atq; alteram admonitionem deuita. Sciens, quòd peruersus est talis, & peccat, suo ipsius iudicio condemnatus.

Matth. 18. Dic Ecclesię. Si Ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

2. Petri 3. Quemadmodum dilectus frater noster Paulus secundũ eam, quæ ipsi data est, sapientiam, scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de istis, in quibus sunt quędam intellectu difficilia, quæ indocti atque instabiles torquent, sicut etiam reliquas scripturas, ad propriam ipsorum perniciem.

QVOD VERA ECCLESIA est vna & concors in doctrina & fide.

D. Cle-

D. Clemens Alexandrinus Oratione Stromateon inter cætera sic ait:

Ἑνὸς γὰρ ὄντος τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ κυρίου, διὰ τοῦτο καὶ τὸ ἄκρως τίμιον κατὰ τὴν μόνωσιν ἐπαινεῖται, μίμημα ὂν ἀρχῆς τῆς μιᾶς. Τῇ γ' οὖν τοῦ ἑνὸς φύσει συγκλειροῦται ἐκκλησία ἡ μιὰ, ἣν εἰς πολλὰς κατατέμνειν βιάζονται αἱρέσεις. κατὰ τε οὖν ὑπόστασιν, κατὰ τε ἐπίνοιαν, κατὰ τε ἀρχὴν, κατὰ τε ὑπεροχὴν, μόνην εἶναι φαμὲν τὴν ἀρχαίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν εἰς ἑνότητα πίστεως μιᾶς.

Ita verbum è verbo licet vertere:

Quia enim Deus vnus est, & vnus Dominus, idcirco etiam id, quod valde pretiosum est, quia vnum sit, laudatur, cùm sit imitatio quædam eius principii vnius. Huius itaque natura vnius vna Ecclesia concluditur, quam in multas dissecare conantur hæreses. Quapropter tũ iuxta hypostasim, tum iuxta considerationem, tum iuxta principium, tum iuxta excellen-

tiam, vnam esse dicimus, antiquã & catholicam Ecclesiam in vnitatem vnius fidei.

QVOD SICVT VNA DOctrina est Apostolorum, sic vnus eius verus intellectus.

Idem Clemens in eadẽ oratione: Διακρίτεον δὲ ὁμοῦ τε καταληπτικῇ θεωρίᾳ, καὶ τῷ κυριωτάτῳ λογίσμῳ τὸ ἀληθὲς ἀπὸ τοῦ φαινομένου, καὶ ὥσπερ ὁδοῦ μιᾶς μὴ τῆς βασιλικῆς τυγχανούσης, πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων τῶν μὴ πρὸς τινὰ κρημνὸν, τοῦ δὲ πρὸς ποτμὸν ῥοώδη, ἢ θάλασσαν ἀγχιβαθῆ φερουσῶν. οὐκ ἂν τὶς ὀκνῆσαι δὴ τὴν διαφωνίαν ὁδεῦσαι; χρήσαιτο δ' ἂν τῇ ἀκινδύνῳ καὶ βασιλικῇ ὁ λεωφόρῳ. μιὰ γὰρ ἡ πάντων γέγονε τοῦ ἀποστόλων ὥσπερ διδασκαλία, οὕτως δὲ καὶ ἡ παράδοσις. Hoc est:

Comprehensiua speculatione simul & propriissimo iudicio oportet verum discerni ab apparente: & cùm vna quidem regia via sit, multæ autem aliæ, quarum quędam in præcipitiũ ducant, quędam in tor

rentem

rentem fluuium, aut in mare profundum: nunquid istam viarum diuersitatem si quis audit, idcirco profectionem abiiciet? Non. Sed vtetur regia via & leophoro, quæ prorsus est absque periculo. Quēadmodum enim vna est doctrina Apostolorum, sic etiã vna traditio, seu interpretatio, vel sensus.

D. Cyrillus itaque lib. 4. in Ioan. cap. 24. Regia, inquit, via omnibus facienda est, qui rectitudinem fidei Christi sequi desiderant.

QVOD EA FIDES SEV ea scripturarum interpretatio sola vera sit, quæ à Patribus nostris tradita est.

Basilius in sua ad Antiochenam Ecclesiam epistola:

Πίσιν δὲ ἡμεῖς ὅτε παρ' ἄλλων γραφομένην ἡμῖν νεωτέραν παραδεχόμεθα, ὅτε αὖ τὰ τῆς ἐμετέρας διανοίας γεννήματα παραδιδόναι πολεμῶμεν, ἵνα μὴ ἀνθρώπινα λογίζωντ τὰ τῆς θεοσεβείας ῥήματα. ἀλλ' ἅπερ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων δεδιδάγμεθα, ταῦτα τοῖς ἐρωτῶσιν ἡμᾶς διαπέλλομεν. Hoc est:

Fidem verò nos neque ab aliis ſcriptam nobis recentiorem ſuſcipimus, neq; ipſi mentis noſtræ germina tradere audemus, ne humana commenta exiſtimẽtur eſſe verba religionis. Sed quæ à ſanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos annunciamus.

Idem Baſilius in homilia contra Sabellianos & Arium:

Δυσωπείτω σε ἡ παράδοσις. ὁ κύριος ὅτως ἐδίδαξεν, ἀπόστολοι ἐκήρυξαν, πατέρες διετήρησαν, μάρτυρες ἐβεβαίωσαν. σὺ πόθεν λέγεις, ὡς ἐδιδάχθης.

Hoc eſt:

Te pacatum reddat traditio. Dominus

minus ita docuit, Apostoli prędicauerunt, Patres obseruauerunt, Confirmauerũt Martyres. Sufficiat dicere: Sic edoctus sum.

D. Athanasius ad Epictetum episcopum Corinthiorum:

Τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα καὶ ἐπεῖν ἀρκεῖ, ὅτι οὐκ ὄντι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα πατέρες ἐφρόνησαν.

Hoc est:

Hoc solummodo respondere ad talia, & dicere sufficit, quòd ista nõ sunt catholicæ ecclesię, neq; ista patres nostri senserunt.

QVOMODO HÆRETICI tractent Scripturam Sacram.

D. Clemens Alexandr. 7. Stromateon:

Κἂν τολμήσωσι προφῆται καῖς χρήσασθαι γραφαῖς, καὶ οἱ τὰς αἱρέσεις μετιόντες, πρῶτον μὲν οὐ πάσαις, ἔπειτα οὐ πλείαις, οὐδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπογορβύζ, ἀλλ' ἐκλε-

γόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι τῇ λέξει. σχεδὸν γὰρ ἐν πᾶσιν, οἷς προσφέρονται ῥητοῖς, εὕροις ἂν αὐτοὺς ὡς τοῖς ὀνάμασι μόνοις προσανέχουσι, τὰ σημαινόμενα ὑπαλλάττοντας.

Hoc est:

Quanquam & hi, qui hæreses sectantur, audeant vti propheticis scripturis, tamen primùm neq; omnibus vtuntur, deinde neque integris, neq; etiam quid vel corpus prophetiæ, vel gibbus velit, considerant: sed ea, quæ ambiguè dicta sunt, eligentes, transferunt illa in priuatas suas opiniones. Sparsimq; voces paucas veluti flosculos carpentes, non spectant in eis significatum, sed nuda dictione abutuntur. Propemodum, enim solis verbis, (τοῖς ῥητοῖς) addictos reperias illos tanquam solis nominibus inhęrere, aut significata variantes.

Epi-

Epiphanius in 2. libro contra Apostolicos scribens, ait: καὶ αὐτοὶ ταῖς ῥηταῖς γραφαῖς μόνον κεχρῆνται.

QVOD HAERETICI NVdum textum scripturæ postulēt, & Catholicum consensum per traditionem acceptum repudient.

Basilius capite decimo de Spiritu Sancto:

Πίστις ἐστὶ τὸ πολεμούμενον, καὶ κοινὸς σκόπος ἅπασι τὸ στερέωμα τῆς εἰς χριστὸν πίστεως κατασεῖται ἐκ τοῦ τὴν ἀποστολικὴν παράδοσιν ἐδαφισθεῖσαν ἀποφανισθῆναι. διὰ τοῦτο ὡς τῶν χρεωφειλετῶν οἱ δῆθεν εὐγνώμονες τὰς ἐκ τῶν ἐγγράφων ἀποδείξεις ἐπιβοῶντες, τὴν ἄγραφον τῶν πατέρων ὡς οὐδενὸς ἀξίαν ἀποπαμπόμενοι. ἀλλ' οὐ γὰρ ὑφησόμεθα τῆς ἀληθείας, οὐδὲ δειλείᾳ τὴν συμμαχίαν προδώσομεν. Hoc est:

Fides ipsa est res ea, de qua bellū geritur: cōmunisq; scopus est cūctis, velle

velle firmamentum noſtræ in Chriſtum fidei conuellere, ac inde traditionem apoſtolicam peſſundatam delere atque extinguere. Eamq; ob cauſam ſicut debitorum probiores (ſi æs mutuum repoſcas) debiti ſcriptas cautiones efflagitant, Patrum teſtimonium, ac ſi nullius ſit momenti, repudiant. At verò nos nihil omittemus veritatis, neq; ob timorem, communem ſocietatem belli prodemus.

D. Hieronymus aduerſus Luciferanos ſcribens, ait: In illa eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque in hanc diem durat. Nec ſibi blandiantur (hæretici) ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi id cõfirmare quod dicunt: cũ & diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus: & ſcripturæ non in legendo,

gendo, sed in intelligēdo cōsistant.

QVOD HÆRETICI SEMper sint discordes inter se in sua doctrina.

Irenæus lib. 5. Tales sunt omnes hæretici, & qui se plus aliquid prę-ter veritatem inuenire putant, se-quentes ea, quę prędicta sunt, variè & multiformiter imbecillè facien-tes iter, de eisdem non semper eas-dem sententias habentes, veluti cæci à cæcis circunducuntur.

Tertullianus in libro de præscri ptionibus: Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnus-quisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit, aut rece-pit? Illic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputā-

da

da est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ: quibus fuit proposita aliter docendi necessitas, instituerũt aliter disponendi instrumenta doctrinæ. aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent.

D. Athanasius in decretis Synodi Ephesinæ: Homines, vt dixit Iacobus, duplici animo, & instabiles in omnibus viis suis, nec eandem habentes sententiam, sed nunc in hanc, nunc in illam sese vertentes, & nunc quidem probantes quod dicunt: mox verò vituperantes, quod paulò antè laudauerant. Hoc autem, vt pastor ille dicebat, ex diabolo prognatũ est, per quod citiùs agnoscas caupones, quàm doctores. Est enim, sicuti à maioribus traditum est, vera doctrina:

&

& hoc veros doctores arguit, si eadem inter sese profiteantur, neque diuersa sentiãt vel inter ipsos, vel à suis maioribus dissidentes. Etenim qui hunc in modum affecti non sunt, improbi potiùs, quàm veri doctores dicendi sunt.

Epiphanius libro tertio contra Dimœritas:

Πολλάκις δὲ διενοήθημεν, καὶ ἔκπληκτοι γεγόναμεν, ὁτι ἕνεκεν τοῦ λόγου τούτου ἡ ἔστασις τῆς φιλονεικίας καὶ τὸν ἀγῶνος ἕως θανάτου περὶ αὐτῶν ἐκδικεῖται. καὶ ἐκ τούτου ἔγνωμεν, ὅτι τάχα περιττοτέρᾳ τινὶ ὑπονοίᾳ περὶ αὐτοῖς ὁ λόγος ᾄδεται. ὅταν γὰρ ἐρωτήσῃς τινὰς ἐξ αὐτῶν, διαφόρως μοὶ πάντες ἀναγγέλλουσι.

Hoc est:

Sæpe autem cogitauimus & obstupuimus, quòd propter sermonẽ istum seditio contentionis atque certaminis vsque etiam ad mortem ab illis vindicaretur. Ex hoc cogno-

cognouimus, quod fermè dissimiliori quadã suspicione apud ipsos (Dimęritas) sonat hic sermo. Quãdo enim aliquos ex illis interrogaueris, omnes sanè diuersum respondent.

Loco præfationis, istas placuit scripturæ sacræ, sanctorumq; Patrum sententias præfigere huic isti tam tetro diuersarum hæresiũ aceruo, vt si quis fortè minùs confirmatus in hanc syluam errorum inciderit, non nisi & diuini verbi, & ecclesiæ antidoto præmunitus, temerè hoc Trophonii antrũ ingredere tur. Nec profectò certior vlla dari potest, nec illustrior veritatis agnoscendæ tessera, quàm si noueris verum, esse simplex semper, & vnum: nec vllum deprehendi erroris euidentius signum, quàm quòd mendacium

dacium ſemper eſt varium, ſemper multiplex, ſemper diſtractũ in ſe, & diuiſum contra ſeipſum. Nam ideo fit, ſicut vetus Poeta ait, quòd

Prauus agit variè, ſimpliciterq; bonus.

Quicunque igitur hanc hæreſium ſyluam peragrare volet, is memor ſit, ſe in medio venenatiſsimæ peſtis verſari: aduerſus quam nullum ſit pharmacum aliud, quàm orthodoxum ſcripturę ſacrę intellectum diſcere ab Eccleſia Catholica: nec eos velle (vt Salomonis ſententia habet) quos maiores noſtri poſuerunt terminos, tranſilire. Prudẽter itaque monet D. Epiphanius 2. lib. contra hæreſes: Termini, inquit, nobis poſiti ſunt & fundamenta, & ędificatio fidei, & Apoſtolorum

traditiones,& ſcripturę ſacrę,& ſucceſsiones doctrinę,& vndequaque veritas Dei munita eſt. Nemo ergo decipiatur nouis fabulis. Eam igitur ſi viam ſtudioſe ſequemur, nunquam vel in ipſis etiam erroribus errare vnquam poterimus.

ARGVMENTVM LIBRI.

MArtinus Lutherus vt ingenij, sic doli plenus, cùm nouam theologiæ formã meditaretur, intelligebat omnem theologicæ scientiæ facultatem rectissimè partiri in formam & materiem, & in agendi potestatem. Quod ad formam attinebat, communia principia & axiomata antè semper vsurpata à Theologis, labefecit initiò, mox explosit etiã ex scholis & templis: substituitq; noua quædam principia, tanquam dialectica prædicamenta, sedesq; topicas argumentorum: vnde quoties disceptandũ fuit, rationes desumi possent. Quæ autem & qualia ista Lutheri topica prædicamẽta sint, primo loco posuimus. Deinde materies sequitur, tanquã sylua quæstionum theologicarum, quas ipse Luther⁹ partim nouas introduxit,

partim ab antiquis Hæreticis potissimùm mutuatus est. Quanquam autem complures scio quæstiones nouas reperiri passim cùm in ipsius Lutheri libris, tum in alijs consectariorum scriptis: tamen præcipuas visum erat in ordinem quendam digerere: vt in promptu esset, si quando refutare eas quis vellet. Vltimo loco successores Lutheri recensentur, ne obscurum sit, qui vel degenerauerint à magistro discipuli: vel quàm sub Augustanæ cõfessionis vmbella pulchrè concordes sint: & quas nouas illi quoque sectarum familias pepererint: Vnde iam id cõsecutum, vt Augustana confessio peregrinetur in Vtopia, nec Augustana ampliùs, sed Vtopiensis sit appellanda.

Prima

PRIMA PARS LIBRI.

DECEM PRAEDICAMENTA seu topica principia theologiæ Lutheranæ.

PRIMVM TOPICVM prædicamentum.

Apiſtæ euangelium Chriſti abiecerunt, Lutherus abiectũ inſtaurauit, produxitq; ex tenebris Papæ, in lucem hominum. Ergo Luthero omnia credenda ſunt tanquam Germanico Prophetæ: Papiſtis nihil, tanquã euangelij deſertoribus. Luth. in libro contra Henricum regem Angliæ, & in lib. de falſo ſtatu cleri. Idem diſcipuli nuſquam non ſcribunt & aſſerunt.

PRincipium nouę theologię primum fuit hoc prędicamentum Lutheri, se euangelii oppressi vindicem datum à Deo: sibi salutem populi per Papā seducti, curæ esse; animas enim miseræ plebis perire, cùm pro euangelio Christi, pontificiæ fraudes regnent passim.

Quapropter Papam & omnes, qui huic adhæreant, hostes euangelii habendos, se Euangelistam Christi coli debere.

Finxit hoc mendacium Lutherus in gubernatores ecclesiæ. Vidit enim, si clerum hoc tam immanis flagitii odio prægrauatum accerseret in iudicium populi, se quidem quæ vellet, posse persuadere omnia vltrò credituris: Papistas verò eius perfidiæ suspicione laborantes, omnem fidem, autoritatemque repente

pente amissuros esse. Perfecit homo nequam, quod voluit: hæretque in hunc vsque diem ea peruersio in animis hominum, Euangelium Christi à Luthero resuscitatum esse, atque vindicatum à seruitute pontificia, & restitutum in libertatem Christiani populi: vnde etiam ea secta nomen accepit, vt Euangelici appellarentur, qui Lutheri nouum euangelium essent amplexi: Papistę, qui doctrinam veterem. Credidit hoc scelus de Clero confictum populus, auxerunt seditiosi concionatores, Principes arripuerunt, resq; ex eo tam vano principio, in hanc tantam Christianæ Reipublicæ ruinam perducta est. Adeoque etiam nunc idem prædicamentum Lutheri topicum, & autenticũ est, vt

si quis veterem religionẽ argumentis licet firmissimis, conetur defendere, satis sit respondere: Tu Papista es, argumenta tua non valent. Vel sic: Argumentum istud Papisticũ est: ergo non est autenticum.

SECVNDVM TOPICVM prædicamentum Lutheranę theologiæ.

LVtherus fuit Propheta & alter Elias & currus Israel. Ergo quæcunque ille censet in sacris Biblijs esse hagiographa scripta, ea debent haberi pro autenticis & hagiographis: quæ ille reijcit, pro reiectis. Ergo Apocalypsis Ioannis est somnium, epistola Iacobi straminea, epistola ad Hebræos notha, secundus liber Machabæorũ impius. Ergo licet truncatas sententias citare, & quæ nusquam scripta sunt, allegare, & negare

negare quæ scripta, vel latinius esse contendere, vel deierare esse supposititia, & subinde mutare propriam sententiã, hodie sic, postridie contrarium dicere. Lutherus quòd ipse sit Euangelista & Propheta, dixit in lib. de falso statu ordinis spiritualis. De eodem spiritu Eliæ Philippus, Pomeranus, Ionas in historia mortui Lutheri. De nothis scriptis Bibliorum ipse Lutherus in primis editionibus uersionis suæ, & item alij.

De mutilatis sententiis & falso citatis, mille exempla passim reperias. Magnus vsus est nunc eius Lutheranæ topices. Exempli gratia: Si proferas exempla Iacobi, Fides sine operibus mortua est: ergo non sola fides iustificat: iã Lutheranus respondebit ex hac topice: Nego antecedens, quia Lutherus alter Elias & verus Propheta dixit, quòd

epistola Iacobi sit straminea. Ergo antecedens est falsum. Item cùm Lutheranus virginitatem è cœnobiis volet pellere, sic argumentabitur: Qui ducit, vel quæ nubet, bene facit, Ergo nullus viuat cœlebs, nulla sit virgo, sed bene licet monachis moniales ducere. Si fortè causeris, Pauli sententiam truncatè productam, quoniam sequatur: Qui autem non ducit, melius facit: refutatur hæc obiectio ex eadem topice, hoc modo: Lutherus Germanicus propheta & Elias ita citauit istum locum: ergo valet cõsequentia. Aliud exemplum. Si quis causetur, quòd Lutherani theologi singulis penè annis mutent sententias Augustanæ confessionis: & tamen in istam inconstantem Confessionem cogant doctorandos

randos & ordinandos ſuos iurare, quòd nunquam eam velint deſerere, ſed tueri & propagare, tanquã verbum Dei: mox reſponſio in promptu eſt ex hac eadem topica, δευτέρα φρόντις ἀμείνων. Hoc eſt: Poſterior ſpiritus Lutheri ſemper fuit melior priore. Itaque iam Pelagium licet magiſtrum ſequi, iam Manichæum, & mox alios, prout poſteriora prioribus meliora eſſe dictabit ſpiritus Lutheri.

TERTIVM TOPICVM prædicament. Lutheranæ theologiæ.

SOlus Lutherus (nimirum alter Elias & Iudæus egregius) rectè vertit ſacra Biblia. Ergo vetus tranſlatio Latina, & Græca interpretatio 72. praue

praua sunt versiones. Proinde nulla alia translatio legenda in ecclesia, nisi Mart. Luth. *Ita est in decreto Lipsensi, cui* Pfeffinger, Melanthon, Pomeranus, Maior, Alesius, *& alij subscripserunt. vel sic: Ecclesia ad nullam certam versionem alligãda est. Ergo cuilibet liberum esto, vt pro arbitratu suo vel sic, vel secùs vertat textum scripturæ. Ecclesiastæ* Tigurini *in præfatione nouæ versionis suæ.*

Est & hoc prædicamentum valde topicum ad diuersorum argumentorum inuentionẽ. Nam quoties euidens textus scripturæ affertur: vt, Inuocetur nomẽ meum super eos: ergo sunt etiam Sanctis sua suffragia: respondendũ ex hac topices regula: Hebraica veritas secùs habet: non enim sic vertit Lutherus. Ergo antecedẽs est falsum.

Aliter:

Aliter: vt si ita argumēteris: Dominus est iustus noster: ergo nos essentia diuina non sumus iusti simpliciter: respondet Osiander ex Tigurinis topicis: Ecclesia ad nullā certam versionem alligata est. Ergo antecedēs est falsum. In primis frequēs est huius topici prædicamenti vsus: quoties enim cunque vlteriùs progredi non licet, mox, si neges versionem allegati textus, vel quia non ita transtulerit D. Martinus, vel nemo vllius autoritate versionis debeat teneri, aduersario omnem disputandi viam præstruxeris: in infinitum enim malam textus versionem causari licebit.

Postea verò quàm Lutherus persuasisset populo, Papistas euangelium abiecisse, & Luthero fas̄ esse, vt quæ scripta velit, ea liceat sibi, tanquam

quam νοθευόμενα, è S. bibliis reiicere: versionem aggressus est Germanicam, sed ita, vt non possis ambigere, euangelium Lutheri passim palliatam speciem prę se ferre Biblicę autoritatis. Sed malã gratiam præceptori Tigurinæ Scholæ, quæ, ne solus regnaret Lutherus, vt hic vnicam versionẽ suam, sic illi nullam certam extare volebant.

QVARTVM TOPICVM prædicam. Lutheranæ theol.

Scriptura sacra per se satis clara & aperta est, interprete non eget. Ergo quilibet potest intelligere illã, & interpretari, tam sutor, pellio, tonsor, quam theologus & episcopus. Ergo sola scriptura debet esse iudex controuersiarum ecclesiasticarum. Luth. in assert. & lib. de Ecclesia & concilijs.

Huius

Huius topici prædicamenti duplex vſus eſt, & quidem longè vberrimus: prior enim eò ſpectat, vt populus non ſolùm non egeat concionatoris inſtitutione, ſed etiam vt queat ipſemet, ſiquidem Scriptura per ſe clara eſt, diiudicare, rectè, an ſecùs concionatus ſit ſuus Parochus: legitimé ne, an illegitimè Scripturam explanarint Concilia, Epiſcopi, Pōtifices: imò vt cupedinarii, vt cetarii, vt lictores (licet nullis ſint imbuti literis) queant Eccleſias regere, ruſticos docere, ſacramenta porrigere, & alia eiuſdem generis officia præſtare, modò clarum textum ſcripturæ per Lutherum tranſlatæ, legere poſsint. Applicatio huius topices talis poteſt eſſe. Si forte quiſpiam audiat ſutorem in taberna

aut

aut in templo differentem de mysteriis scripturarum, rogetque illũ, cùm sacerdos non sit, nec ad id officii genus institutus, qua fronte audeat tale sibi munus vsurpare: ibi ille huius topices autoritate subnixus, ita responderit: Scriptura sacra per se clara est, & omnes sumus θεοδίδακτοι. Ergo æquè mihi integrũ est, interpretari scripturam, & tractare verbum Dei, atque Doctori cuipiã. Hac è topica prosiliunt hoc tempore, tanquam ex equo Troiano, diuersi generis Doctores ecclesiarũ, pelliones, vestiarii, fullones, cerdones, fabri, coci, gladiatores, lictores, carnifices, aliique eiusdem farinæ consimiles: quorum nunc curæ cõmittuntur ecclesiæ passim: nec aliud, si fortè queras, cur id fiat, respondetur, nisi quoniã scriptura

sacra

sacra per se clara est, & omnes sumus θεοδίδακτοι: itemque illud, Spiritus spirat quò vult, hoc est, tam sutori inspirat tractanti corium, quã theologo Biblia versanti, penitiorẽ intellectum scripturæ. Ex hac topica sic argumẽtabatur Thomas Monetarius: Christiani sunt liberi: rustici sunt Christiani: ergo sunt illi liberi ab omni onere & seruitute suorum dominorum. Ex eadem & Bernardus Rotmanus sic collegit: Sola fides iustificat: ergo baptismus non est necessarius. Admoniti autem illi, quòd scripturam non rectè intelligerent, respondebant, verbum Dei per sese clarum esse, interprete non egere.

Secundus eiusdem prædicamenti vsus est duplex, vt negatiuè hinc possis & affirmatiuè argu-

menta ducere. Negatiuè in hunc modum: Scriptura ſacra per ſe ſatis clara eſt. Ergo non opus eſt ſubtili Scholaſticorũ diſputatione: nec arduis illis ſanctorum Patrum interpretationibus: multo minùs decretis Conciliorum. Vigore huius topices poſſunt oñia Cõcilia prę-terita & futura, omnis labor ſanctorum Patrum, & vniuerſum interpretandæ Scripturæ ſacræ miniſterium tolli. Quemadmodum etiam Philippum Melanthonem ſcimus feciſſe, quando docendi munus è ſcholis ſuſtulit, & cùm ſcripſit, nihil velle recipi, præter ſolam Scripturam. Vide Philippi prę-fationem, ad Georgium Spolatinum in canones Apoſtolorum, & præfationem Lutheri in annotationes Philippi.

Affir-

Affirmatiuè ſumuntur argumenta ex eadem topice: Scriptura ſacra per ſe clara eſt. Ergo ſola Scriptura debet eſſe iudex Eccleſiaſticarum controuerſiarum. Exemplum: Oſiander contendit hominem iuſtum fieri eſſentiali iuſtitia Dei realiter. Magdeburgenſes contrà imputatiua iuſtitia, & relatiue tantùm. Quid in ea controuerſia ſtatuendum? hi relationem ponunt, quippe entitatis nihil: ille contrà ipſum Deum, entitatis ſummum. Secundum hanc quidem topicen, Scriptura debet eſſe iudex. ſed hæc neutrum vel affirmat vel inficiatur: quî ea igitur erit iudex, quando tacet ad vtrumque? Philippus vſum huius topices oſtendit eo pacto. Quoniam Scriptura iu-

dex tacet ad vtrunq;: ergo condemnat neutrum: vnde consequitur, quòd inter vtranque sectam facere ἀμνησίαν præstet, quàm lites serere inextricabiles. Quanquam Illyricus eam inter ipsos ἀμνησίαν ægrè fert: credo, siquidem vsum huius topices nondum rectè didicerit. A peritis animaduersum est, Lutheranos hoc topico prædicamento rectiùs vti posse aduersus Catholicos, quòd hi orthodoxam scripturæ interpretationem vrgeant: quàm aduersus Iudæos, Anabaptistas & Arianos, quòd isti solum postulent scripturæ textum. Nam si his obieceris, scripturam per se satis claram esse, mox idem ipsi in Lutherum statuent, quod ipse in illos.

Quin-

QVINTVM TOPICVM prædicam. Luther. theologiæ.

Maior est autoritas scripturæ, quã ecclesiæ. Ergo quicquid ecclesia dicit contra Lutheranos, id semper minus verum est, minusq; autoritatis habet, quàm si scriptura diceret. Luthe. in lib. de conciliis & ecclesia.

Est & huius topici prædicamenti duplex vsus argumentandi, vnus negatiuè, affirmatiuè alter: Negatiuè sic: Prudentia carnis, est inimicitia aduersus Deũ. Ergo virtus nihil aliud est q̃ peccatũ. Philip. in suis in Paulum annotationibus ita argumentatur. Tu si consequentiam neges, quia non sic soleat ecclesia locum Pauli exponere: tum ille confestim ex hoc suo topico: Maior est autoritas scripturç, quã Ecclesiæ. Ergo expositio Ecclesiæ

non valet. Et sic in omnibus aliis similiter.

Affirmatiuè: Maior est autoritas Scripturæ, quàm Ecclesiæ. Sed quia nos (inquiunt) sequimur solam Scripturam: ergo nostra autoritas est maior, quàm Ecclesiæ, quæ omnium aliarum gentium. Ecquid non valde topicè? Fraudem hanc animaduerte studiosè lector. Etenim in hac quæstione: Est ne maior autoritas Scripturæ, quàm Ecclesiæ? norit pius lector, non id in litem vocari, quasi Catholici velint magis verum esse, quod Ecclesia dicit, quàm quod Scriptura. Nõ hoc quæritur, inquam, sed illud, quia verbum Dei est veritas, sit ne hoc magis verum, si scriptum sit in papyro, an si insculptum in corde Ecclesiæ: etenim plus vno verum esse

esse non potest in eadem re. In hac quæstione non est lis de veritate, vtrum hæc in scripturis maior sit, an in carneis libris Ecclesię (vtrobique enim oportet eandem esse) sed lis est quoad prestantiam subiecti, hoc est, vtrũ nobilius vas seu subiectum veritatis sit, viuum cor Ecclesiæ, an verò chartaceæ membranæ Scripturarum: & an maior autoritas viuo pectori Ecclesiæ tribui debeat, an mortuis membranis & literis Scripturæ. minor haud dubiè his, illi maior. Hinc dolum Lutheri æstimari licet.

SEXTVM TOPICVM prædicam. Luth. theolo.

COncilia & S. Patres errare potuerunt. Ergo *legendi sunt cum iudicio, vt eatenus probentur, quatenus cuilibet ex priuato iudicio (sed tamẽ secun-*

dum ſenſum Lutheri) videantur congruere cum ſcripturis ſacris. Luthe. lib. de concilijs & eccleſia.

Bifariàm ex hoc topico argumenta licet promi, negatiuè & affirmatiuè. Negatiuè ſic: Concilia & S. Patres errare potuerunt. Ergo Concilium Niccœnum impiè ſanciuit legem de cœlibatu: impiè Mileuitanum, quòd gratia non ſolùm nobis fidem afferat, vt ſcire poſsimus, quid lex Dei nos iubeat facere, verumetiam auxilium præſtet, vt facere valeamus: nec rectè Toletanum, quòd alii pro iuſtitiæ meritis vitam æternam percepturi ſint, alii pro peccatis æternum ſupplicium. Eadem ratio eſt argumentandi cõtra ſententias Sanctorum Patrum, & omnia decreta Eccleſiæ: vt ſi non placet quod affertur,

tur, mox ex hac topice proferas: Errare potuerunt Concilia, contraria docuerunt Sancti Patres: non ergo illorum autoritate tenemur.

Ducuntur hinc argumenta affirmatiuè: sed per hoc & id genus alia axiomata Lutherus & huius Discipuli, cunctiqúe Lutherani, eô videlicet, quia habent spiritum euangelicæ libertatis, vt liceat quod libet, errare non possunt. Ergo ipsi soli rectè intelligunt scripturam sacram, soli rectè interpretantur, soli concordes sunt, soli inter sese de vero scripturarum sensu nusquam discrepant.

SEPTIMVM TOPICVM prædicamentum Lutheranæ theologiæ.

VEritas euãgelii non alligatur ad vllam certã, aut temporis, aut locorum, aut personarũ successionem. Ergo veritas euangelii non tenetur esse Catholica, vt dispersa sit vbiq; in Christiano orbe, & semper inde ab Apostolicis temporibus continuata existat. Lutherus passim de Ecclesia, & contra Papatum. Philippus in Locis, & alibi.

Robustissimè ex hoc prædicamento argumentari solent Euangelici, & quidem in vtranque partem: sed robustiùs negatiuè, affirmatiuè aliquanto verecundiùs. Negatiuè, si quando obiicitur, communẽ Scripturę sacræ intellectum pertinere ad fidẽ Catholicã, priuatã Scripturę opinionẽ, hęresin esse: ad eã sanè obiectionẽ & similes, efficacissima argumenta ex hoc septimo prædicamento proferuntur in hũc modum

modũ: Quod neq; locorũ vniuersitati neq; continuatæ seculorũ successioni alligatum est, id non oportet esse Catholicum. Sed veritas euangelii non est alligata, neque locorum, neque temporum successioni. Ergo euangelii veritas non tenetur esse catholica: nec vllus nobis est Catholicus Ecclesiæ consensus necessarius. Minor sic probatur: Quia veritas euangelii modò hîc latitat, modò illic, nimirum nõ vno in loco assidua est, nec floret conspicua semper: aliâs enim penitus extincta nusquam apparet, aliâs resuscitatur, sicut iam factum à Luthero est.

Affirmatiuè: Veritas euangelii nulli certo vel loco vel tempori alligatur. Ergo solummodo Vuittenbergæ cœpit euangelii veritas ante

annos

annos quadraginta primùm in lucem prodire, cùm antea annis quadringentis esset extincta. Vel sic: Vbique multi errores sunt, & fuerunt. Ergo apud solos Vuittenbergenses veritas remansit, & nulli apud istos sunt errores.

Sed hæc affirmatiua argumentandi ratio, nescio quid posset insignis arrogantiæ præ se ferre: proinde satius fieri videtur, antecedēs nudum ponere, & consequentiam relinquere lectori tacitò colligendam: quemadmodum Philippus artificiosè consueuit facere.

OCTAVVM TOPICVM prædicamentum Lutheranæ theologiæ.

VIdete, ne quis vos decipiat per inanem philosophiam. Ergo si quod argu-

argumentum vrgens obijcitur ab aduersario, respondendum, quòd sit sophisticum, quòd sit inanis philosophia. Nusquam non hoc argumentandi modo vsi sunt Lutherus & Philippus.

In vtranque partem & hoc prædicamentum suppeditat argumentandi copiam. Affirmatiuè, sed per contrarietatem oppositi: Iustificari hominem per fidem, quæ efficax est per charitatem, est inanis philosophia, & sophisma. Ergo sola fide iustificamur. Vel per compendiũ: Sophistica repudianda sunt. Tota scholastica doctrina est sophistica. Ergo tota scholastica doctrina repudiãda est. Minor probatur: quia cauendũ, ne quis nos decipiat per inanem philosophiam. Negatiuè: Sophisma est, quòd deuitare hæreticum, sit illum de vita tollere. Ergo

go sunt Hus & Seruetus comburendi, tanquam Hæretici.

Valde nunc est, & fuit antea hoc prædicamentũ topicum frequens. Etenim hinc Melanthon quondã & Caroloſtadius occaſionẽ ſumpſerũt, vt hic Vuittenberga relicta, in proximo pago ex oratore repente fieret arator & ruſticus: ille perſuaderet ſuis ſcholaſticis, vt omni philoſophiæ, literarumque ſtudio abiecto, ſeſe ad aliquod mechanicum opificium conferrent: philoſophiam enim inanem eſſe, Deo non placere, cùm omnes ſimus θεοδίδακτοι. Crediderunt id pleriq;. Scimus enim alicubi inſignes vrbes, in quibus iuuentus adeò à literarum ſtudio ſubtracta fuit, vt ad biennium ſcholæ omnes vaſtæ relictæ fuerint: donec Lutherus ex

Pathmo

Pathmo reuerſus, alterum corrigeret, eiiceret alterum è Vuittenbergenſi ditione. Itaq; Lutherus vſum huius topices ita coſtituit: vt quotiens vrgens aliquod argumẽtum obiectum ſit à Catholicis, reſpondeatur ex hac topice: Eſt ſophiſticum, Eſt inanis philoſophia: Taceat mulier in Eccleſia. Contraq;, ſi ipſe aliquod poſſet dentatum ſophiſma obiicere Catholicis, ibi vt eſſet vera, non inanis philoſophia: ibi vt liceret mulieri loqui in Eccleſia. Nimirum, vt in eo apologo eſt (quo Demoſth. ſcimꝰ vſum aduerſus Alexandrũ) Lupi petunt ab ouibus, canes ſubmoueri à caulis, q̃ hi ſint rixoſi, q̃ pacẽ perturbent. Nõ ſecùs nũc ſcholaſticã Theologiã ab Eccleſia remoueri volũt Lutherani tanq̃ rixoſam mulierẽ, ſophiſticẽ,

vt

vt Eccleſiam illa cuſtode deſertã, lupi rapaces eo poſſent opportuniùs dilaniare.

NONVM TOPICVM prædicamentum Lutheranæ theologiæ.

QVod non habet expreſſum mandatum in ſcripturis, hoc non eſt admittendum. Ergo nulli canones, nullæ traditiones, nullæ leges humanæ, de quibus expreſſum mandatum in ſcripturis non extat, debent admitti. Philippus in Loc. & paſſim. Lutherus in libro de abroganda miſſa, & vbique.

Ab autoritate ſcripturę quidem negatiuè argumẽtari fuit olim admodum infirmum, affirmatiuè firmiſsimum. Tamen ita nunc euangelio nuper reperto commodũ videtur, vſum eius vt paucis declaremus,

mus, esse necessariũ existimamus. Negatiuè sic: Verbum ὁμοούσιον non est expressum in Scripturis, nec illud, Filioque, vsquam habent sacra Biblia. Ergo non sunt eæ voces ferendæ in Symbolo Athanasiano. Infantes baptizandos esse, non expresit Scriptura. Ergo non baptizandi. Hoc Anabaptisticũ est, illud Arianum: sed vtrunq; bellè habet ex topica Lutheri. Ipsum Symbolum apostolicũ non est expressum in Scripturis: ergo non admittendum. Quin eadem autoritate posset dici, Sola fide hominem iustificari, seruum esse arbitrium, bona opera non esse necessaria, ἀδιαφορίαν esse, & id genus infinita, in Scripturis expressum mandatum vel textum non habẽt. Non admittenda igitur. O quanta insania nostra: sed

quãto ſaniùs de his D. Baſilius Magnus? De iis quidẽ, inquit, quę ſcripta ſunt, nulla poteſtas data eſt omnino, vt aliquid faciat eorum, quæ ꝓhibita ſunt: aut omittat, q̃ pręcepta: de illis verò, de q̃bus tacet Scriptura, Canonẽ nobis pręſcribit D. Paul. cũ ait: Oĩa mihi licẽt, ſed non oĩa conducunt. Vtinã vetuſtas nobis placeret, diſpliceret nouitas, ne idem ab aliis nationibus cogamur nos Germani audire, quod Græci quondam ab Aegyptiis: Γερμανοὶ αἰεὶ παῖδες, γέρων δὲ γερμανῶν οὐκ ἐστὶν οὐδείς, ὃ οὐκ ἔχει μάθημα χρόνῳ πολιόν.

DECIMVM TOPICVM prædicamentum Lutheranę theologiæ.

TOllite malũ à vobis, inquit D. Paulus. Ergo vſus rei, & adeò res ipſa tolli debet propter rei abuſus. Et per cõ-

ſequens

ſequẽs, propter malos mores Sacerdotũ, tollendum erit ſacerdotium. Luth. cùm alibi paſſim, tum in lib. contra Papatũ.

Affirmatiuè hoc topicũ valet potiſsimè apud Euãgelicos, apud Catholicos negatiuè in contrariũ. Sed quoniam pro illis nũc contra hos agitur, affirmatiuè ſint exẽpla eiuſmodi: Cœlibatus & virginitatis lege abutuntur Sacerdotes, & Monachi, & Moniales. Ergo cœlibatus & virginitas abrogentur. Epiſcopi & Principes abutuntur poteſtate ſua. Ergo tollãtur Principes & Epiſcopi, & horum ditiones, & dignitates, & bona eccleſiaſtica rapiantur in vſum prophanũ. Lutherus quidem eiuſmodi exempla pleraq; libris infarſit ſuis, at praxin huius topices admodum frequentem paſſim in aulis reliquit.

Cõmemorat Plutarchus Lycurgum rogatum, quã ferret de vitium cultura legem, reſpondiſſe, nullam aliam, niſi vt vites penitùs extirpentur, cùm vini abuſus multorũ malorum cauſa ſit & occaſio. Rogatus eadem de re Solon: ſed hic, vitẽ, inquit, colito, & fontẽ adducito propiùs. Forſitan humaniùs nos Germani Solonem imitaremur, quàm Turcæ Lycurgum: idq; non tam in vini vſu dũtaxat, ſed multo magis in legitimis ſacrarũ rerum cõſtitutionibus: quarum ſanctiones venerari debebamus, abuſum ſuis relinquere magiſtratibus corrigẽdum. Nam vt epiſcopis dictũ eſt: Tollite malum ex vobis: etenim hi debent mores Cleri corrigere, abuſum tollere, rem tueri incolumẽ: ſic Laicis eſt mandatũ, vt ſinant zizania creſcere.

ſcere. Id autē commune omnibus præceptū, vt hęreticū hominē vitemus. Cuiuſmodi igitur diſcrimē ſit inter zizania morū, & hæreſin doctrinę, liquidò expreſsit Dauid: Odiſti, inquit, oēs, qui operantur iniquitatē: perdes autē, qui loquuntur mendaciū. His ergo ne dicas, Aue, vetat Deus, quia exitio digni ſint: illos præcepit, vt tolleres, licet digni ſint odio. Tantū itaq; eſt inter malos mores Cleri & hæreſin, quantū inter odium & præſens exitium.

Hæc ferè ſunt, quæ de top. præd. Luth. theol. nūc per otiū annotāda videbant. Poſteà vbi plus acceſſerit occaſiōis, erit locupletādi opportunitas. Tametſi nō dubito, fore huic noſtri tyrocinii ęmulos, qui quēad modū ſolet fieri, inuētis aliqd addi poſſe, nō intēpeſtiuè cogitabūt.

METAPHYSICA SEV TRANSCENDENTIA QVAEDAM, COLlecta ex Apologia Confessionis Augustanæ.

PRIMVM METAPHYSI. *cum ex apologia Confessionis Augustanæ.*

DE iustitia fidei omnia templa, monasteria, scholæ, denique; omnes libri Theologorum recētium antea muti erant. Ergo fides Catholica extincta fuit, nunc autem per euangelium Lutheri resuscitata. Tametsi autē Catholici euincunt, quòd Ecclesia Catholica neutrū probarit vnquā: tamē quia Luther⁹ Propheta Elias,

αὐτὸς ἔφα, ideo oportet verum esse credere.

SECVNDVM METAPHYsicum ex apologia Confessionis Augustanæ.

SCholastici doctores securi philosophos, tantùm docent iustitiam rationis: videlicet, ciuilia opera. Ergo iam annis quadringentis aut plus etiam, extinctũ fuit euangelium, & vnà cum fide ipsa Ecclesia. Quamuis euincunt Catholici, quòd Ecclesia Catholica neutrum probarit vnquam: tamen quia Lutherus Propheta Elias αὐτὸς ἔφα, necesse est, vt credatur esse verum.

TERTIVM METAPHYsicum ex apologia Confessionis Augustanæ.

PApistæ dócent, quòd ratio sine Spũ sancto posſit diligere Deũ supra omnia. Ergo non opus esſe vllo Christi beneficio, sed Christũ sepeliunt,& frustrà mortuum con tendunt. Quanquam Catholici euincunt, quòd Ecclesia Catholica neutrum probarit vnquã (tametsi Scotus in eam sententiam locutus videtur,licet nõ ita præciſe) tamen quia Lutherus propheta Elias αὐτὸς ἔφα, neceſſe eſt, vt credatur esſe verum.

QVARTVM METAPHYſicum ex apologia Confeſsionis Auguſtanæ.

PApistæ docent,quòd inter philoſophiã & iuſtitiã Christianã nihil interſit. Ergo Papistæ docent Ethnicam & idololatricam fidẽ,nõ Chri-

Christianam. Quanquam Catholici euincunt, quòd Ecclesia neutrum probarit vnquam: tamẽ quia Germanicus Elias ita testatur, & αὐτὸς ἔφα: ergo necesse est, vt credatur esse verum.

QVINTVM METAPHYSICUM ex apologia Confessionis Augustanæ.

PApistæ docent, quòd per opera nostra mereamur remissionem peccatorũ. Ergo docent Christi gratiam non esse Christianis necessariam. Et quamuis Catholici euincunt, quòd Ecclesia Catholica neutrum probarit vnquam: tamẽ quia Lutherus ita testatur, & αὐτὸς ἔφα, necesse est, vt credatur esse verum.

SEXTVM METAPHYSICUM ex apologia Confess. August.

PApistæ solam historicã fidem docent, assensum omittũt. Ergo docent nullã certitudinem esse fidei, nullam certã consolationem esse posse ex dubia & historica fide. Et quãuis Catholici euincũt, quòd Ecclesia Catholica neutrum probarit vnquã: tamen quia Lutherus propheta Elias αὐτὸς ἔφα, idcirco oportet, vt credatur esse verum.

SEPTIMVM METAPHYsicum ex apologia Confessionis Augustanæ.

PApistę docẽt, quòd ad pœnitentiã nõ requiratur fides. Ergo docent, quòd contritione Iudę homines possint iustificari. Tametsi quidem Catholici negant, Ecclesiam vnquam excluisse fidem à pœnitentia, sed docuisse semper, ex fide

& ſpe & charitate pœnitentiam proficiſci oportere : tamen quia Elias Germanicus ipſe dixit, neceſſe eſt, vt credatur eſſe verum.

OCTAVVM METAPHYſicum ex apologia Confeſſionis Auguſtanæ.

PApiſtæ docent, quòd propter contritionem mereamur remiſsionem peccatorum. Ergo docent, non gratis nos iuſtificari propter Chriſtum. Tametſi Catholici euincunt, quòd Eccleſia Catholica neutrum probarit vnquam: tamen Lutherus αὐτὸς ἔφα, idcirco oportet, vt credatur eſſe verum.

NONVM METAPHYſicum ex apologia Confeſſionis Auguſtanæ.

Papiſtæ

PApistę docēt, posse hominē diuinæ legi ex propriis viribus, absq; gratia Christi satisfacere. Ergo docent naturā corruptam non esse,& extenuant peccatum originale, καὶ πελαγιανίζουσι. Tametsi Catholici euincunt,quòd Ecclesia Catholica neutrum probarit vnquā: tamen quia Lutherus αὐτὸς ἔφα, est verum igitur.

DECIMVM METAPHYsicum ex apologia Confessionis Augustanæ.

PApistæ docent, quòd vitam æternā propriis meritis,& operibus & virtutibus suis possit homo promereri. Ergo docent Ethnicā idololatriā, & simul Christum, & Paulum conculcant. Tametsi Catholici euincunt,quòd Ecclesia Catholica neutrū probarit vnquam: tamen

tamen quia αὐτὸς ἔφα, est verum igitur.

Has sanè, generisq; eiusdem cõsimiles calumnias plurimas confinxit Lutherus in Ecclesiam, vt illis adeò portentosis, omnemq; Christianæ mentis captum trãscendentibus mendaciis Clerum oneraret apud imperitam multitudinem: cum tamẽ nulla vllius hominis, siue docti, siue indocti oratione possit edoceri, Ecclesiam Catholicam quicquam eorum, quæ ille scelerate cõmentus est, cõprobauisse vnquam. Quapropter negamus, & si opus sit millies eadem repetentes negamus, Ecclesiam ista, quæ falsò in Catholicum cœtum commiscitur Lutherus, aut sensisse aut docuisse vllo tempore. Omnes igitur pios & cordatos viros oramus per

fidem

fidē Christi,ne seditiosis hominibus hæc ista flagitia citra vllū probabile argumentum iactantibus,fidem habere velint: nūquam enim probabunt quod asserunt,nunquā obtinebunt vllo piorum hominū iudicio,quod sine vlla ratione,aut testimoniis asseuerant. Monstra enim Lutheri sunt hęc,non dogmata Ecclesię.Sed fingit ipse tales Chimæras, & cum his suis portentis abs se confictis dū depugnat, fraudulenter simulat, se propugnare Euangelium Christi.

Secunda

SECVNDA PARS LIBRI

DE MATERIA LVTHERANÆ Theologiæ.

PRAECIPVA CAPITA Lutheranæ Theologiæ sunt quinq;.

Primum, de doctrina fidei.
Secund. de Sacramentis.
Tertium, de Ecclesia.
Quartum, de ciuili potestate.
Quintum, de bonis ecclesiasticis.

Doctrina fidei.

Doctrina fidei potissimùm est de Deo, & de homine. Etsi autẽ de Deo quæstiones passim reperiantur prope-

propemodum infinitæ, de quibus Theologi nõ inutiliter inter se cõferre solent, vt iis rectè explicatis, aliæ contentiones eo facilius possint explanari: tamen id iam non agitur, quòd omnia velimus, sed eadumtaxat afferre in hunc locũ, quæ syluam quasi præsentium controuersiarum comprehendant & proponãt ob oculos: vt imperitiores videant, quid Lutherus nouarit, quò progressus sit, & quàm longè eius magistri successores & discipuli à primis Lutheri institutis, atque ab ipsa confessione Augustana pedetentim distracti prosilierint.

HAERESES IN DOCTRINA *de Deo.*

SEruetus nuper supplicio affectus, fertur negasse Deũ esse trinum

num, & alia pleraque eiusdem generis similia.

Mathias Flaccus Illyricus negat vsquàm in Scripturis sacris vocabulum, ὁ λόγος, reperiri in tali significatione, vt personā Trinitatis diuinæ significet. Philippus Melanthon, in sua epistola ad concionatorem Barbensem M. Vuarnerum.

HAERESES SEV NOuæ opiniones *Lutheranorum de doctrina hominis.*

QVô res tota fiat illustrior, placet doctrinam de homine in quatuor status partiri, vt primus sit de homine nõdum lapso, & de gratia Paradisi: secundus de homine lapso, & de lege Mosis: tertius de homine instaurato, & de euangelio: quartus de homine extra omnem

moleſtiam conſtituto & beato, & de felice Patria.

DE PRIMO STATV *hominis.*

De imagine Dei.

AFfirmant Lutherani, q; ea Dei imago, quam D. Paulus virũ appellat, ſit incarnatũ verbũ, ipſeq; adeò Ieſus Chriſtus, Filius Dei & Mariæ. Et quẽlibet hominẽ, dum Chriſtum induat, eãdem Dei imaginem fieri: ſcilicet eandem (ſicut ipſe Oſiander exponit) ſpecie, non numero. Oſiander in ſuo libro, quem de imagine Dei inſcripſit. Error Manichæus & Apollinarius.

In cõtrarium aſſerunt, quòd imago dei ſit in mẽte vera notitia Dei, in volũtate ardẽs dilectio & obediẽtia. Phil. Melãthon in lib. de aĩa. Cõfuſio imaginis & ſimilitudinis dei.

Affir-

Affirmãt, quòd imago Dei nõ ad solã mentẽ hominis, sed etiam ad corporeã hoĩs naturã pertineat. Osiãder in eodẽ lib. Luth. in Cõmentar. in Genesin. Error Audianus.

In contrariũ asserunt, quòd imago Dei sit cœlestis illa puritas, quã spiritus noster habiturus est in felice patria cum Deo cõformem. Calui nus institutionis suæ capi. 2. Cõfusio peregrinationis præsentis, & futuræ felicis patriæ.

DE IVSTITIA ORIGINALI.

AFfirmãt, quòd Numas, Scipio & similes viri Ethnici, Deo ad vitã æternã accepti fuerint propter egregias illorum & naturales virtutes. Vlrichus Zuinglius, teste Luthero in vltima Cõfessione sua de Eucharistia aduersus Suermeros. Error Pelagianus.

DE SECVNDO STATV *hominis.*

De Lege.

AFfirmant, quòd lex neq; ante, neq; post iustificationem sit necessaria ad salutẽ. Ministri Saxonicarum Ecclesiarum suo in Georgium Maiorẽ dãnatorio lib. Ioan. Agricola in collect. sententiis Luthe ri. Error Manichæi, & Marcionis.

In contrarium asserunt, quòd lex sit necessaria. Lutherus in suis disputatiõibus cõtra Antinomos.

Affirmãt, quòd decem præcepta ad nos non pertinent, sed ad solos Iudæos. Lutherus in sermone de Mose. Error Manichæus.

In contrariũ asserũt, quòd decem præcepta diligẽter p̃dicari debeãt: in eis enim omnia bona opera cõti neri. Luth. in visitatione Saxon. &

in

in disputationibus cõtra Ioannem Agricolam.

DE PECCATO.

AFfirmant, quòd peccatũ sit res quędam rea, existens in homine. Lutherus in assertion. contra Leonem. Philip. Melanthon in Locis cõmunibus. Error Manichæus.

In cõtrarium asserunt, quòd peccatum originale sit morbus duntaxat, non verè, aut propriè peccatũ. Vlrichus Zuinglius in libro de baptismo. Error omnino Pelagianus.

Affirmãt, quòd cõcupiscentia & reliqui defectus, vt ignoratio & cõtemptus Dei, &c. sint originale peccatũ etiã in sanctis & baptizatis infantib. Luth. in assertionibus cõtra Leonem, & passim. Melanthon in Apologia Cõfessionis Augustanę, & multis aliis in locis. Error Manichæus

chæus & Antitassamenorum.

In contrariũ asserunt, quòd cõcupiscentia per se non sit peccatũ, sed consensus in cõcupiscentiam. Lutherus in 4. Psal. & de ratione consitendi: item in assert. art. 2.

Affirmãt, q̃ omne peccatũ sit per se & suapte natura mortale, per se nullũ veniale. Lut. in art. per Theologos Parisien. damnatis. Caluinus institutionis suæ ca. 3. Philip. in Locis. Error Stoicus & Manichæus.

Affirmant, q̃ sola incredulitas sit peccatũ, & nulla esse alia peccata p̃terea. Luth. in lib. de libertate Christiana. Philippus in annotat. in Ioannem. Error Eunomianus.

Affirmãt, q̃ peccatũ verè atq; realiter nõ tollatur per baptismũ: sed remitti tantũ, nõ vt nõ sit, sed ne esse imputet. Luthe. in assert. Phil. in Locis

Locis,& Cõment.ad Ro.Error partim Pelagian. partim Manichæus.

DE LIBERO ARBITRIO.

Affirmãt,q̃ oĩa ta mala,q̃ bona eueniãt ex absoluta necessitate,adeoq; q̃ Deus sit nõ solũ causa peccati permissiuè,sed effectiuè etiam.Lut.in resolut.art.36.& in assertionib.& Philip.in annota. ad Ro. Error Stoicus & Manichæus.

Affirmãt,q̃ adulteriũ Dauidis,sæuitia Manlii,& proditio Iudæ eqùè sint opus dei,atq; ipsa Pauli cõuersio.Philip. Melanthon in annota. suis in epistolã Pauli ad Ro. Luth. in lib.de seruo arbitrio.Error Stoicus & Manichæus

In contrariũ affirmãt, quòd liberũ arbitriũ habeat homo.Luthe.in explicatione Pater noster,& in lib. visita.Phil.in vlt. editione Locorũ.

Affirmant, quòd peccet homo, si faciat præcepta Dei nō exiſtens in gratia: & quòd bonum opus etiam optimè factum, ſit veniale peccatū ſecundū miſericordiā Dei, ſed mortale iuxta iuſtū Dei iudicium. Lutherus in aſſertionibus 32. art. Philippus in Apologia Confeſsionis.

In contrariū aſſerūt, quòd homo poſſit liberum aſſenſum præbere, Phil. in Locis cōmunibus vltimis.

Negāt viciſsim, quòd homo poſſit prebere verbo Dei liberū aſſenſum. Ioan. Stoltzius in defenſione Lutheri aduerſus Ioachimū Camerariū. Nicolaus Gallus & Illyricus in lib. ſuo, quo rationes reddūt, & ipſi nō ſint autores diſcordiarum inter Confeſsioniſtas, & alibi.

DE TERTIO STATV *hominis.*

De

De Euangelio.

AFfirmant, quòd euangelium prorsus nullã habeat vim legis aut mandati: solũmodò requirere, vt credamus, cætera opera oñia esse liberrima. Lutherus in Comment. in epistolam Pauli ad Galat. & in præfatione noui testamenti, quòd non sit aliquod in euangelio præceptum à Deo. Idem in captiuitate Babylonica.

DE DISPOSITIONE *ad gratiam.*

AFfirmant, q̃ nulla præparatio seu dispositio ad suscipiendã gratiã Dei sit necessaria: imò quòd contritio præcedẽs gratiam, sit peccatũ. Lutherus in assert. Philippus in Hypothesibus, in loco de libero arbitrio.

Affirmant, quòd quanto scele-

ratior es, tanto citiùs Deus tibi gratiam infundit: si autem adorneste, vt cattus, bonis operibus, vt te Deus acceptet, nihil efficias. Lutherus in sermon. de piscatione Petri.

In contrarium asserunt, quòd ad suscipiendam gratiam Eucharistię, opus sit fide & pœnitētia. Philippus in Locis.

Affirmant, quòd sola fides iustificet & saluet hominem, nec vllo bono opere, nec vlla lege opus esse homini Christiano ad salutē: quia nihil personam bonam faciat, nisi fides: nihil malam, nisi incredulitas. Lutherus in assertionibus, & Philippus in 16. cap. Ioannis. Error Eunomianus.

In contrarium asserunt, quòd sola fides non sufficiat, sed etiā charitate sit opus. Lutherus de decem lepro-

leprosis,& super Ionam: & Philippus in Lipsico Interim,quòd de vocabulo Sola,non velit pugnare.

Affirmant,quòd sua quisq; speciali fiducia queat certus esse, vtrũ sit in gratia Dei, vel non: nulla habita ratione charitatis,nulla pœnitentiæ, nulla bonorum operum. Lutherus de libertate Christiana, & in assertionibus art. 1. & passim.

DE IVSTIFICATIONE *hominis.*

AFfirmant, quòd iustificari, sit absolui hominẽ à peccatis, & illũ iustum renunciari, nõ de facto iustum fieri, sed imputatiuè tantũ:quia verè peccator maneat,& in eo solo iustificetur,q confidit peccatum sibi non imputari.Philip.in Annot.in 4.cap.epistolę ad Rom.

Idem

Idem in postrema editione in eandem epistolam. Et ministri Saxonicarũ Ecclesiarum in censura sua cõtra Georgium Maiorem. Error Epicureus, & Eunomianus, & Cerdonianus.

In contrarium asserunt, quòd hominẽ intelligi oporteat iustum, id est, reconciliatum Deo, facta remissione peccatorũ, & acceptum Deo, deinde indutum nouis qualitatibus. Philippus in vltima editione Commentariorum in epistolam ad Romanos, in ipso argumẽto epistolæ.

Affirmant, quòd iustitia ea, quę Christi propria est, imputetur homini: & cùm Christus sit extra hominem, idcirco hominem in hac vita verè iustum esse non posse. Lutherus in tertia disputatione de fi-

de,

de, & in quinta cõtra Antinomi[illegible] Error Epicureus.

In contrarium affirmant, [illegible] Christus per fidem & gratia[illegible] nobis habitet. Philippus in suo [illegible] pto aduersus Osiandrum, & in Co- mentario ad Romanos vltimæ e- ditionis.

Affirmant, quòd ea iustitia Dei, qua homo debet iustus constitui, sit neque essentia diuina, sicut Osi- ander, & Suencfeldius voluerunt, neque actio aliqua aut qualitas, vt Papistis placet: sed quòd sit nuda relatio tantùm. Philippus in dispu tatione ea, quæ habita est præsiden te Philippo, & respondente M. Ti- lemanno Heshusio, & in libro exa minis. Error Epicureus.

In contrarium affirmant, quòd ea iustitia Dei, qua hominẽ Deus induit,

induit, sit ipsa essentia diuina, & natura. Osiander in lib. Confessionis suæ: & Caspar Suencfeldius in lib. de euãgelio Christi. Error Stoicus & Manichæus.

Affirmant, quòd præter solam fidem nulla sit iustitia inhærens in homine iustificato, quę iudicio dei possit opponi. Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ, & in Annotat. in 16. cap. Ioannis. Error Eunomianus.

In contrarium affirmant, quòd homo iustus fiat originali & essentiali iustitia Dei. Lutherus in libro de triplici iustitia.

DE DIVERSIS MODIS *iustificandi hominis.*

AFfirmant, quòd vna ratio sit iustificãdi hominis, tã adulti, quàm

quàm infantis: ſcilicet vtrobiq; nihil requiri, niſi ſolam fidem. Miniſtri Saxonicarum Eccleſiarum contra Georgium Maiorem. Error Anabaptiſticus.

In contrarium aſſerunt, quòd non ſola fides, ſed bona opera etiam ſint ad iuſtificationem neceſſaria. Georgius Maior cùm alibi, tũ in Commentariis ad Romanos, & aliis ſuis contra Illyricum ſcriptis.

Affirmant, quòd in relapſis neque contritio (quia hæc ſit peccatum) neque pœnitentia ſit neceſſaria ad iuſtificationem, & quòd neque opera pœnitentiæ, neq; Sacramenta faciant remiſsionem peccatorum, ſed ſola fides. Lutherus contra Leonem in Aſſertionibus.

In contrarium affirmant, q̃ abſq;

pœniten-

pœnitentia nulla sit peccatorum remissio, neq; possit remissio peccatorum absque pœnitentia intelligi. Lutherus in libro visitationis: & Georgius Maior in 8. caput ad Romanos.

Affirmant, quòd peccata actualia remittantur, non tollantur formaliter, sed quòd solùm tegantur, & verè peccata maneant etiam in Sanctis. Lutherus in quinta disputatione contra Antinomos: & Philippus in Apologia.

DE OFFICIO HOMINIS *iustificati.*

De impletione legis.

AFfirmant, quòd homo Christianus liber sit ab omni legis obseruatione, ab omnibus bonis operibus: quòd Deus hæc neque præcepit,

præceperit, neq; vetuerit: quòd his etiam ipſe non indigeat, ſed ſola fides ea omnia largiatur abundè. Lutherus in libro de libertate Chriſtiana, & alibi paſsim: & Miniſtri Saxonicarum Eccleſiarum in Georgium Maiorem.

Affirmant, quòd omnia præcepta in euangelio vim mandati habeant, & nulla ſint in eo conſilia. Philippus in Locis.

In contrarium negant, vllum eſſe in euangelio præceptum. Lutherus in præfatione noui teſtamenti.

Affirmant, quòd lex Dei nobis planè ſit impoſsibilis, etiam Sanctis: ſed nos eam implere ſola fide, nullo opere. Lutherus in articulis damnatis per Pariſienſes Theologos.

In contrarium asserunt, quòd vitæ Christianæ sit, bona opera facere: idcirco enim Decalogũ proponi & prædicari oportere. Luthe rus in visitatione Saxonica.

Affirmant, quòd Deus ipse in nobis faciat & impleat opera legis, non nos. Lutherus in libro de libertate Christiana.

In contrarium asserunt, quòd nos oporteat inchoare diuinę legis opera. Philippus in Locis commu.

Affirmant, quòd homo iustifica tus vel sanctus, sit simul peccator & iustus, & bona opera, quę faciat, æquè mala esse, ac bona. Lutherus in Assertionibus contra Leonem.

DE SATISFACTIONE.

AFfirmant, quòd nulla satisfactio (scilicet pro mitigãda pœ

na

na temporali, vt Catholici cẽsent) sit necessaria in remissione peccatorum, imò quòd sit omnino impossibilis. Lutherus in Assertioni. Philippus in Apologia, & passim.

In contrarium asserunt, quòd vetustissima Concilia rectè statuerint modum pœnitendi & satisfaciendi pro peccatis. Lutherus in Resolutionibus suis, & in Assert.

Affirmant, quòd neque charitas, neque pœnitentia, neque vlla bona opera sint necessaria ad salutem. Luthérus in Commentario ad Galatas: & Ministri Ecclesiarũ Saxonicarum in Georgium Maiorẽ sua censura.

DE MERITO.

AFfirmãt, q̃ nullꝰ sit respectus siue bonorũ siue malorũ operũ.

Philippus in 3.cap.Ioannis Annotationum ſuarum.

In contrarium aſſerunt, quòd bona opera mereãtur prędmia præſentis vitæ & futuræ. Philippus in communi loco de premiis: & Lutherus paſsim.

Affirmant, quòd bona opera (etiam præſuppoſita gratia) non mereantur vitam æternam. Philippus in Locis communibus de prędmiis operum.

In contrarium aſſerũt, quòd opera bona, in gratia Dei facta, vitã conſequantur æternam. Lutherus in Aſſertion. artic. 29.

DE QVARTO STATV HOminis in felice Patria.

AFfirmant, quòd Sanctos oporteat ea iuſtitia, qua Deus ipſe eſſen-

essentialiter iustus est, fore iustos in cœlesti patria. Ioannes Brētius sua ad Ducē Vuirtenbergēsem epistola, edita Vuittenbergæ, Anno 1557.

Affirmant, quòd idololatria sit interpellare Sāctos iam cœlesti patria fruētes, vt velint pro nobis intercedere. Lutherus in Assertio. & passim. Philippus in Apologia.

In contrarium asserunt, quòd meritum quidē Christi sit thesaurus Ecclesiæ, certū tamen esse, Sanctorum meritis iuuari nos. Lutherus in decima conclusione aduersus Eccium.

Affirmāt, quòd animæ Sanctorum nondū, nisi post resurrectionem, possint frui cœlesti patria & cōspectu Dei: sed eas retineri in ali quo loco, in quo quasi quiescant, Sanctorū quidem animæ suauiter,

dam natorũ verò irrequietè & formidolosè. Luth. in prælect. Gene.

DE CHRISTO IVSTIficante.

AFfirmant, quòd Christus iustificet genus humanum secundum solam diuinam naturam. Osiander in libro cõfessionis suæ. Error Nestorianus.

In contrarium asserunt, quòd Christus iustificet genus humanũ iuxta solam humanam naturam. Franciscus Stancarus, contra Andream Musculum Francfordiensem concionatorem scribens. Error Arianus.

Affirmant, quòd Christus etiam passus sit secundum diuinam naturam. Andreas Musculus ex sententia Lutheri, edita Francfordiæ

ad

ad Oderam. Error Valentinianus.

Affirmant, q̃ posteaquam Christus ascēdit in cœlū, humana eius natura sit cōuersa in diuinam. Caspar Suencfel. in libello Latino de duobus statib. Christi. Error Entychianus & Dimæritarum.

DE SACRAMENTIS.

NEgant esse septem Sacramenta. Lutherus in libro de captiuitat. Babyl. Error Catharorū.

In contrarium asserunt, q̃ sint septem Sacramenta. Lutherus lib. de potestate Papæ.

Affirmāt, quòd si iuxta Scripturam loqui velimus, vnum sit tantū Sacramentum. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica.

In contrarium asserunt, quòd duo tantū sint Sacramenta, Baptis-

mus & cœna domini. Lutherus ad Vualdenſes. Philippus in Annotationibus ad Rom. in 11. cap.

Affirmant, quòd tria ſint Sacramenta ponenda pro tempore, baptiſmus, cœna Domini, & pœnitẽtia. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica. Philippus in ſecunda editione Locorum communium.

In contratium aſſerũt, quòd Sacramenta ſint quatuor: baptiſmus, cœna domini, claues, & impoſitio manuum. Philippus in poſtrema editione Locorum.

Affirmant, quòd hæretica ſententia ſit affirmare, Sacramẽta gratiam conferre eis, qui non opponant obicem. Lutherus in aſſertionibus, & reſolutionibus contra Ecium. Fons erroris Suencfeldiani, & antiquus error Armenorum.

DE

DE BAPTISMO.

AFfirmãt, quòd baptiſmus non ſit plus, quàm externũ ſignũ. Lutherus in ſermone de recumbentibus. Error Zuinglianus & Albanenſium.

In contrarium aſſerunt, quòd deteſtãdi ſint Suermerii, qui Sacramenta tantùm habeant pro externis ſignis: quibus Chriſtiani ſignẽtur, quaſi oues creta rubra. Lutherus in epiſtola aduerſus Regem Angliæ.

Affirmant, quòd in puero poſt baptiſmum negare remanens peccatum, ſit Chriſtum & Paulum ſimul conculcare. Lutherus in aſſertionibus. Error Armenorũ & Albanenſium.

In contrarium aſſerunt, quòd baptiſmus omnia peccata remit-

tat. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica.

Affirmant, quòd præstat prorsus omittere baptismum in paruulis, quã baptizare sine fide, quoniã Sacramẽta neq; possint, neq; debeãt sine fide accipi. Lutherus ad Vualdenses. Error Eucetarum, qui solam orationem dicebant sufficere. Fons Anabaptistarum.

DE CONFIRMATIONE.

NEgant confirmationem esse Sacramentũ. Lutherus de potestate Papæ. Error Viclephi, & Piccardorum.

DE EVCHARISTIA.

NEgant verum & substantiale corpus Christi porrigi aut sumi in communione Eucharistiæ. Zuinglius de verbis cœnæ Domini. Tigurina Ecclesia contra vlti-

mam

mam confeſsionem Lutheri. Caluinus in libello cõſenſionis. Error Berengarianus.

Affirmant, quòd corpus & ſanguis Domini acipiendum in verbis cœnæ Dominicæ per metonymiam,& myſticè, non realiter. Ioannes Caluinus in libro contra Ioachimum Vueſtphalum.

Negant panis & vini ſubſtantiã tranſelementari in corpus & ſanguinem Domini. Lutherus contra Regẽ Angliæ,& de captiuitate Babylonica: & Philippus, & omnes Lutherani.

In contrarium aſſerunt, quòd panis in verum & naturale corpus Chriſti,& vinum in veram & naturalem ſanguinem Chriſti tranſmutatur. Lutherus in ſermone de Euchariſtia, & in libro viſitationis.

Ne-

Negant Euchariſtiã extra vſum communionis eſſe Sacramentum. Philippus in Locis.

Affirmant, quòd Iudas & alii impii non accipiant verum corpus Domini. Suencfeldius in libro de cœna Domini: & Caluinus contra Vueſtphalum.

Negant ſub vna ſpecie rectè participari integrum corpus & ſanguinẽ Chriſti. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica. Idem clamitant omnes Lutherani.

In contrariũ aſſerunt, quòd ſub vna ſpecie æquè, ac ſub vtraque integer Chriſtus cum corpore & ſanguine exhibeatur. Lutherus reſpõdens ſuis Collectoribus, in catalogo ſententiarum, & in declaratione Euchariſtiæ.

Ac iterum aſſerunt, quòd neutra

tra ſpecies, ſed ſola fides ſit neceſſaria ad ſalutē. Lutherus in aſſertionibus artic. 16. & de formula Miſſæ.

Fons Suencfeldianorum, & Zuinglianorum.

Negant corpus Domini in Sacramento Euchariſtiæ adorandum eſſe. Lutherus ad Vualdenſes.

In contrarium aſſerunt, quòd ſicut Magi in terra adorabant Chriſtum, ſic in Euchariſtia poſſe fieri. Lutherus ad Vualdenſes.

DE PRAEPARATIONE *ad Euchariſtiam.*

AFfirmāt, quòd ſit pernicioſus error, ſi quis accedat ad Sacramentum Euchariſtiæ ea nixus fiducia, quia ſit confeſſus, quia non ſit ſibi conſcius alicuius mortalis peccati, quia orationes ſuas & præpara-

paratoria premiserit. Eos enim qui id faciunt, sibi iudicium manducare & bibere: imò eo melius illum accedere, quo sit peccatis onustior. Lutherus in sermone de præparatione ad Eucharistiam, & in assertionibus 2. art. & Philippus in vndecimum caput ad Roman. annotationum suarum.

In contrariũ asserunt, quòd nemo debeat admitti ad Sacramentũ Eucharistiæ, nisi priùs dispositus fuerit ad Sacramentum. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica: & Philippus in Locis.

DE SACRIFICIO *Missæ.*

NEgant Missam esse opus bonum, vel esse sacrificium. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica

lonica. Philippus in Locis.

In contrariũ asserunt, quòd Missa sit pars Euãgelii, & quòd Missæ valeant pro viuis & defunctis, à tota esse approbatum Ecclesia. Lutherus de captiuitate Babylonica, & in 10. præceptis.

DE POENITENTIA.

NEgant pœnitentiã esse Sacramentum, sed esse duo Sacramenta duntaxat, baptismum & Eucharistiam. Lutherus in libro visitationis: & Philippus in annotationibus in Epistolam ad Roman. Lutherus de captiuitate Babylon.

In contrarium asserunt, quòd pœnitentia sit Sacramentum. Lutherus in captiuitate Babylonica, & in libro visitationis. Philip. in 2. editione auctorũ Locorum, cùm tria

tria Sacramenta ponit.

Negant, quòd hæ tres, cõtritio, confessio, & satisfactio sint partes pœnitentiæ: sed quòd sint duæ tantùm, cõtritio & fides. Philippus in Apologia, in loco de pœnitentia.

In contrarium asserunt, quòd tres sint partes pœnitentiæ, contritio, fides, inchoatio bonorũ operum. Philippus in vltima editione Locorum communium.

DE CONTRITIONE

AFfirmant, quòd contritio ea, quæ præcedit gratiam remissionis, omnino sit peccatum. Lutherus in assertionibus contra Leonem.

In contrarium iam negant, contritionem esse peccatum, sed quòd sit prima pars pœnitentiæ. Philippus

pus in Apologia & Locis.

DE CONFESSIONE.

Affirmant, quòd peccata debeant homines ſua recenſere iuxta præcepta decalogi. Philippus in loco communi de confeſsione.

In contrarium negant, auricularem confeſsionem eſſe neceſſariã, ſed eſſe carnificinam conſcientiarum. Lutherus in Reſolutionib. & de decem leproſis. Philippus in loco de confeſsione.

DE SATISFACTIONE.

NEgant vllam eſſe poſſe ſatiſfactionem (ſcilicet pro temporali pœna) ſed Chriſtum ſatisfeciſſe pro culpa & omni pœna. Lutherus in aſſertiõibus: & Philippus in Apologia.

In contrariũ aſſerũt, quòd Eccleſia ſancta mater pro pio affectu ma

num Domini præuentura, castigat filios suos satisfactionibus quibus dã, ne incurrat flagella dei: & quòd sint tres partes satisfactionis, ieiunium, oratio, & eleemosyna. Luth. in Resol. 3. conclus. contra Eccliũ.

DE SACRAMENTO *ordinis.*

AFfirmant, quòd nullũ sit neq; visibile, neq; externum, neq; verum sacerdotium in nouo testamento, nisi quod humanis mendaciis per Sathanam erectum. Lutherus in libro de abroganda Missa ad Senatum Pragensem, & libro de captiuitate Babylonica.

In cõtrarium asserunt, quòd Sacerdotes honorãdi sint, & quòd ordinatio ministrorum sit Sacramentum. Lutherus in libro visitation.

Phi-

Philippus in vltima editione Locorum communium.

Affirmant, quòd omnes homines sint Sacerdotes,& possint ligare & soluere,& vti clauibus. Luthe rus libro de captiuitate Babylon.

In contrarium afferunt, quòd sit ordo in Ecclesia, vt alii doceant & ministrent in Ecclesia, alii obediãt ministris cuãgelii. Philippus in Lo cis vltimæ editionis.

DE MATRIMONIO.

AFfirmãt,quòd matrimonium non sit Sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum, ignorãtia tam rei, quàm verbi adductis.Luth.in libro de captiuitate Babylonica, Philippus in Locis.

In contrarium afferunt, quòd matrimoniũ verè sit Sacramentũ, & quòd diuinitùs institutũ, posit

probari ex Paulo Ephe. 5. Lutherus in sermone de matrimonio.

DE EXTREMA *vnctione.*

NEgant extremam vnctionem esse Sacramẽtum, sed esse figmentum hominum. Lutherus in libro de captiuitate Babylonica. Philippus in Locis.

In contrariũ asserũt, quòd extrema vnctio sit Sacramentum Luth. in libro de præparatione ad mortẽ, & de potestate Papæ.

DE ECCLESIA.

AFfirmant, quòd Ecclesia sit inuisibilis & spiritualis, & sola fide perceptibilis. Lutherus in libro contra Ambrosium Catharinum, & Philippus in Apologia.

In contrariũ asserunt, quòd Ecclesia sit cœtus visibilis, externisq; insti-

insignita signaculis. Philip. in Locis cómunibus in loco de Ecclesia.

Affirmant, quòd Ecclesia nō sit alligata ordinariæ successioni, hoc est, neq; continuationi temporis nusquam interrupti, neque vniuersitati locorum, sed gregem esse passim dispersum in orbe terrarum: adeoq; vt vox ista Catholica, queat expungi ex Symbolo, & pro ea reponi, Christiana. Lutherus de Ecclesia, & libro contra Papatum, & passim. Philippus in diuersis editionibus.

In contrariū asserunt, quòd Ecclesia sit Catholica, & quæ errare non possit. Philippus in præfatione explicati Symboli: & Lutherus in explicatione 10. præceptorum & in Resolutionibus contra Eccium.

DE POTESTATE *Ecclesiæ.*

AFfirmant, quòd Ecclesia nullam habeat potestatem vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, & quòd frustrà iactetur arbitrium Ecclesiæ, & potestas Papæ. Lutherus de falso statu Cleri, & in libro de captiuitate Babylonica, & contra Catharinum.

In contrariũ asseritur, quòd potestas Ecclesiæ sit potestas Christi, ludificationemq; Sathanæ esse, affirmare, quòd Ecclesia, si quando erret aut peccet, ideo non sit Ecclesia. Lutherus in sermone de excõmunicatione, & de abroganda Missa.

DE TRADITIONIBUS *Ecclesiæ.*

Affir-

AFfirmant, quòd in manibus Ecclesiæ aut Papæ prorsus nõ sit statuere articulos seu Canones fidei, seu bonorum operum. Lutherus contra Ambrosium Catharinum.

In contrarium asseritur, quòd ideo positi sint Canones Patrum, vt dirigant populum. Opus enim esse infirmis non secundum homi nem veterem iustificatis, vt certis officiis, diebus, modis, vigiliis, ieiuniis, laboribus, orationibus, disciplinis, & similibus, quibus perue niant ad perfectionem interioris hominis. Lutherus in explicatione decem præceptorum.

DE VIRGINITATE. *& casta vita.*

AFfirmant, quòd cœlibatus, virginitas, aureolæ, nugæ sint & mera Sathanę mendacia. Lutherus in libro de votis.

In contrarium asserunt, quòd sacrilegium sit, castitatem polluere. Lutherus in explicatione decē præceptorum.

DE POTESTATE *Ciuili.*

AFfirmant, quòd inter Christianos nulla sit superioritas. Lutherus in secundo libro de potestate seculari.

In contrariū asserunt, quòd Scriptura doceat, ne Principi populi tui maledicas. Lutherus in explicatione decem præceptorum.

Affirmant, quòd Principes nostri sint mendaces & obstinati, nec

nec homines ratione præditi, sed Germanicæ bestiæ, **Wiltbrat im Hymel**. Lutherus in epistola sua contra duo mandata Cæsaris, & in libro de seculari potestate.

Affirmant, ꝙ nulla alia sit spes remedii, nisi reuocato libertatis euangelio, secundum ipsum semel extinctis omnium hominum legibus, omnia iudicemus & regamus. Lutherus de captiuit. Babylonica.

In contrarium asserunt, quòd omnis potestas à Deo sit, & licet rusticos premãt Principes, aut ciues, aut Sacerdotes: tamen sint ferẽdi. Lutherus in explicatione decem Præceptorum.

Affirmant, quòd Deus orandus sit, ne obcæcatis Principibus obsequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas: quando-

quidem Turca decies probior prudentiorque sit, quàm nostri Principes. Lutherus contra duo mandata Cæsaris.

DE LEGIBVS HVmanis.

AFfirmant, quòd prorsus nullis hominum legibus teneamur. Lutherus de iudicio Christianæ cong.

In contrarium asserunt, quòd cùm euangelium nõ aboleat leges aut politias, nos oporteat illis obedire. Philippus in communi loco de ciuilibus Magistratibus.

Affirmant, quòd nulla respubli ca feliciter gubernetur legibus. Lutherus in Art. per suos Collectores taxatis.

Affirmant, quòd nullis prorsus resi-

resistendum sit, neque Turcis, neq; aliis aduersariis, iuxta præceptum Christi dicentis, Si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi & sinistram. Lutherus in Resolutionibus Conclusion. 5.

Affirmant, quòd præliari contra Turcas, sit repugnare Deo puni enti nos per Turcicam tyrannidem. Lutherus in Assertionibus artic. 24.

DE FRVCTV QVINTI *euangelii.*

AFfirmant, quòd ex euangelio Lutheri homines multò dete riores facti sint, quàm vnquã antè fuerint in Papatu. Lutherus in sermone in Dominica Aduentus.

DE BONIS EC- *clesiasticis.*

Quid

QVid Lutherus de ecclesiasticis bonis senserit, non tam ille libris expressit suis, quàm bellè instruxit fiscales magnatium: nec ipsæ tacent Ecclesiæ passim: quas ita laceratas cernimus, omniq; ornatu exutas ac squalidas: vt nemo queat dubitare, quin vngues Harpyiarũ in extremis hæreant sacrilegiis. De quibus nunc nomenclaturas facere, intempestiuum est: versatur enim res ista in cute leporini capitis: nobisque sic cogitandum omnino est, vt sapiẽter Sophocles admonuit:

Nos non videmus, quid moliantur Principes.

Deo haud dubiè curæ est, eritque semper Ecclesia sua. Ferunt aquilinas pennas (Plutarchus refert) aliarum auium plumas, si cum his illæ com-

commiſceantur, admodum auidè abſumere, & citò: & non ita multò pòſt, vbi has abſumpſerint, ſeipſas demum conſumere. Vidimus in ſpoliatis Eccleſiarũ bonis exempla ſimilia: ac niſi plena eſſent inuidię, plurima referre poſſemus: ſiquidẽ publicis ærariis atque opibus deuoratis, inedia multorũ iam cœperit Eccleſiæ oſſa arrodere.

Sed eſt, vt Atoſſa ad Darium ait, apud Aeſchylum:

ὡς ἰδεῖν τέλος, πρὸ ἔστιν, οἷον ἤνυσε κακόν.

Deus ipſe vindex erit, cùm leges dormiant, cùm iura obmutuerint, cùm ibi ſint iuſtitiæ limites iam fixi, vbi finem determinarit gladius. Quare omittamus hæc, quæ noſtrę paleſtræ non ſunt, & quod eruditorum hominum eſt, doctrinam tueamur Eccleſiæ.

Syluam

Syluam sanè assertionum Lutheranicarum complexus sum ea methodo, qua potissimùm id adeò varium chaos comprehendi posse videbatur. Nec ignoro, plures posse nouas opiniones ac hæreses recenseri, quãdo vltrò citroq; tot passim grassentur, quot sensus hominum priuatim existant: sed minutiores illas persequi nolebam, ratus omninò sufficere, si crassiores, tanquã in tabula depictę animaduerti possent: vt si quis θηριομαχεῖν aduersus eiusmodi beluas vellet, ne nescius esset, quibus in spelęis solęant latitare. Dabitur autem breui, vt spero, integra aliqua huius trimẽbris Lutheranicæ theologiæ refutatio, oppositа orthodoxa doctrina Catholicæ Ecclesiæ.

Tertia

TERTIA PARS LIBRI

DE SVCCESSIONE ET *concordia discipulorum Lutheri in Augustana Confessione.*

Stoici obiicere Epicureis solebãt, cur cùm domi dissererent, nullos esse Deos, foris tamẽ publicas aras illis consecrarent, cultumq; præstarent diuinum. Quibus Epicurei respondebant, sintne Dii, nec ne sint, difficile negari posse, si in concione quæratur: sed in eiuscemodi sermone & confessu priuato, facillimum. Non profectò absimile quiddam nũc soboles Lutheri: domi enim tanquam fratres Cadmęi alter-

altercantes inter sese, ita omnem religionem tractant, vt nullam penè suæ Cõfessionis Augustanæ certitudinem relinquant: cùm eandé tamen sic propugnant foris, quasi rem agant seriò. Nam in consultationem quando ventum est, eam istam doctrinæ suæ, quasi confessionem proponunt, deierantque se adeò in ea concordes esse, vt in fundamento nihil dici possit, aut cogitari concordius. Ac si qua fronte id faciant, dubites, nihil aliud te oportet, quàm quod de Epicureis scribit Plutarchus, statuere, illos aliud domi sedendo solere, aliud stando foris agere. Eam verò Lutheranicæ sobolis artem si qui fortè non satis intellexerũt hactenus, non dubiè, vt arbitror, poterunt hinc cognoscere, si animaduertant, num verè,

an

an fictè, vt Epicurei Deum, sic illi confessionis suæ consensum atq; religionem domi venerentur. Ad cuius rei non incertum iudicium proderit ex primariis Lutheri discipulis duces aliquot proferre, easque in suas sectas digerere, & in familias: vt inde euidenter possit, q̃ fœdè inter se digladientur, animad uerti: vaniſsimumque esse, quod falso gloriantur, ipsos esse in confessionis suæ fundamento concordes. Sed altiùs aliquãto eam genealogiam ordiar.

Lutherus confestim, vbi tragœdiæ suæ esset protasin exorsus, tumultuabatur sanè vehementer, & vt solet sub initio epitaseos tragicæ euenire, sese in formas varias turbasq; vertebat, quoad Lutheranismi sui corpus aliquod & ventrem

pararet, ederetque tandem partum conceptæ pestis suæ. Ad cuius partus fœturam haud dubiè operam contulerunt suam Draco vetus, vt pronubus, & septiceps illa bestia, & ipse Pseudoprophetes, vt parentes: etenim ex ore istorum (vt in Apocalypsi Ioannis est) prodierunt tres illi spiritus immũdi, ranarum similes, Homologistæ, Sacramentarii, Anabaptistæ. Et quanquam hi ipsi tres immundi spiritus, tanquam vulpes Philistiæ, capitibus longè sint lateque disiunctissimi: tamen caudis ita sunt inter se (vt segetem Domini incendere possint) cõcopulati, vt nulla penè nũc reperiatur in tota Europa hæresis, quæ nõ aut Homologistarum, aut Sacramentariorum, aut Anabaptistarum charactere mentem gerat insigni-

Tres spiritus immundi, Homologistæ, Sacramentarii, Anabaptistæ.

insignitam: ne, si cupias agnoscere, queat deesse cuidens indicium ex illis tribus spiritibus, cui quis potissimùm adhæreat mancipatus.

Et quô propiùs possis certiusque singulos illorum immundorum spirituum characteres deprehendere, septem quidem infligit Deus propter peccata plagas mundo, sed has in tribus elementis exprimit, in aqua, in aere, in igni: vt constet, quo quis genere peccet, eodem soleat etiam diuinitùs puniri. At presiùs idem.

Quia tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres sunt vnũ. Et tres sunt, qui testificantur in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis: & hi tres in vnũ sunt. Hoc posterius testimonii

genus ipſemet Chriſtus inſtituit, confirmauitque in terra, cùm aliâs, tum etiam cùm pendens in cruce, aquam profudit & ſanguinem ex latere, & emiſit ſpiritum inclinato capite. Nec dubium eſt, quin ſicut Eua ex lateræ Adæ formata eſt, ita Eccleſiam formari ex latere & ſpiritu Chriſti: quemadmodum ſanctè explicauit Viẽnenſe Conciliũ. Tria enim potiſsimùm hæc Sacramenta ſcimus eſſe, quibus Eccleſia floret, Baptiſmum, Cœnam Domini, & Claues pœnitẽtiæ. Signaculum baptiſmi eſt aqua: Euchariſtiæ myſterium, ſanguis ex vino, quod eſt aereum: Clauium poteſtatem Spiritus ſanctus, quẽ Chriſtus inſpirauit, contulit, ſignumq; eius aperuit ignis in ore Apoſtolorum. Hoc ſanè triforme teſtimonium Chriſti,

Christi,in terris iam violatum,atq; prophanatũ est: Baptismum enim Anabaptistæ corruperunt, Sanguinem Domini prophanarũt Sacramentarii,Spiritum clauium Homologistæ inuaserunt. Quod scelus cœptum quidem est puniri, at nõdum finis pœnę, siquidem nec ipsa adhuc prophanatio cessat. Caueat,qui intelligit: effugiat,cui patet abitus: excutiat puluerem, qui iram Dei veretur. Sed iam ad catalogum veniamus. Lutherus Pseudoprophetes primum spiritum ranæ aut bufonis euomiturus, vt aquam baptismi inquinaret, multa scripsit, quibus Anabaptistis noui erroris occasionem præbuit, & inter cætera, hoc ad Vualdenses fratres: Præstat,inquit,prorsus baptismum omittere in paruulis, quàm

Anabaptistæ.
Sacramentarij.
Homologistæ.

baptizare illos sine fide: quoniam Sacramenta neque possunt, neque debēt sine fide accipi. Arripuit hoc Bernhardus quidam fatali cognomento Rotmanus, natus credo ad excitandam turbam sectamque in infima fece plebis. Quę isto immūdo bufonis spiritu concitata, ruri passim, & in pagis Baptismi Sacramentum horribiliter defœdant, & variè quidem. Nam vt in hoc omnes Anabaptistæ consentiant, ne rectè vsurpetur baptismus, tamē in pleriſq; aliis dissentiunt hostiliter.

1. *Primus immūdus spiritus Bernhard Rotmanus, filius Lutheri & pater Anabaptistarum.*

CATALOGVS SECTARVM *inter Anabaptistas.*

ALii enim se Adamitas appellant, quòd innocentiam Adæ se imitari profiteātur. Alii Stebleri vocātur, quia cùm censeant peccā-

tum

tum esse, apud Magistratum contẽdere, nec vim licere vi repellere, baculum portãt, gladium nullum gerunt. Alii Sabbatarii sunt: Sabbatum enim (sicut Iudæi consueuerũt) colere se dicunt oportere. Nec de Christi diuinitate rectè sentiũt, procliues ad Iudæorum Messiam. *Admitæ. Stebleri.* *Sabbatarij*

Alii se Clãcularios Christianos vocant, q̃ existimẽt sibi licere, si rogẽtur, an sint Anabaptistæ, negare, vt vitent periculũ. Alii contrà Manifestarii dicũtur, putant enim impiũ esse, si cùm rogantur, se negent esse quod sunt, Anabaptistas. Sunt præterea Dæmoniaci, qui contendunt, sicut Originistę quondã, etiã Dæmones saluatum iri. Plures Anabaptistarum sectæ reperiuntur, scio: verùm iam non sucurrebant: aliâs & istas subtexam. *Clãcularij Christian.* *Manifestarij.* *Dæmoniaci.*

CATALOGVS SECTARVM *inter Sacramentarios.*

SEcundum immũdum ſpiritum bufonis eructauit Lutherus in blaſphemiam Euchariſtiæ,& inter cætera, talem in pleriſque ſcriptis ſuis anſam porrexit tum Caroloſtadio, & Zuinglio ad renouationem Berẽgarianæ hæreſeos,cùm ita ſcribit contra Leonem Pont. in Aſſert. & in libel. de formula Miſſę: Neutra ſpecies, inquit,ſed ſola fides eſt neceſſaria ad ſalutem. Item in Reſolutionibus concluſion. 7. quòd ſola fides Sacramenti iuſtificet, nó Sacramentũ. Et cùm illud Ioannis exponeret, Spiritus eſt viuificans, caro autem nihil prodeſt:ita Spiritum iactabat initio,ita efferebat,vt cùm carnem omnino, vt Manichęi,feciſſet peccatum,non ſolùm Chriſtus

Christus homo putatiuus fermẽ, sed & ipsum in Eucharistia corpus illius,& iustitia in remissione putatiuè,hoc est,θέσει καὶ δοκήσει(vtor veterum dictionibus) accipienda existimarentur. Ea scilicet conditione, & Manichæa,& Pelagiana hęreses antiquæ in concordiã reduci posse videbantur. Nimirum si sola fides ad salutem homini satis esse asseritur,poterunt ex eo paradoxo varia monstra procreari,nõ solùm quòd nos imputatiua iustitia iustificet, verùm etiam , quòd Christus corpus habeat putatiuum,vt olim Manichæus, & nunc Suencfeldius arbitrantur : quòd item non verum, sed putatiuũ corpus Domini porrigatur in Eucharistia, sicut quondam Berengarius censuit, & nunc plerique. Cùm adeo eleuasset Lu-

therus ſigna ſacramentalia, & extu liſſet ſolam fidem, Caroloſtadio au tor fuit erroris Berengariani, Suēcfeldio pręter eundem & Manichęi & Eutychiani, itemque aliis aliorum: quorum primas tenet Vlririchus Zuinglius, à quo reliqui pe nè omnes, qui id dogma ſecuti ſunt, Zuingliani appellantur.

II

Secūdus immūdus ſpiritus, Vlrichus Zuinglius filius Lutheri, pater ſacramētariorū

Caput autē Zuingliani dogmatis dé Euchariſtia eſt, verum & ſubſtantiale corpus Chriſti non eſſe in eo Sacramento. De hoc quidem capite conſentiunt Zuingliani omnes, nulla eſt inter ipſos controuerſia. Verùm quia hìc iſte error defendendus illis videtur, mox ingēs oritur diſſeſsio, nū hoc, vel illo fucopalliandus ſit, vel alio. Itaque ſunt Zuingliani Significatiui, qui hæc verba, Hoc eſt corpus meum, ſic inter-

Significatiui.

interpretãtur, vt verbum, Eſt, expo ni debeat pro, Signicat. Sunt etiã Tropiſtæ Zuingliani, qui verbum, Eſt, non attendendũ putẽt, ſed tro pum eſſe in voce corporis, vt intel ligendum ſit pro corporis figura. Ab his diſſentiũt Zuingliani Ener gici, qui, vt propiùs aliquãto ad ver batextus accedere videãtur, corpus Domini dicunt intelligi oportere pro energia corporis, quaſi effectũ pro cauſa per Metonymiã. Ita Cal- uinus nouus interpres, & quidam alius. Arabonarii ab iſtis omnibus ſtatuũt diuerſum: aiũt enim cœnã Dñi, cũ præbetur, dari illã tanquã arabonẽ corporis, & quaſi inueſti- turã donati prædii aut alicuius do- mus. Ita Franciſcus Stancarus in Polonia ſuos docet, & in Tranſil- uania. Præterea ſunt qui corpus Domini

Tropiſtæ.

Energici.

Caluinus Zuinglianus Energicus.

Arabonarij.

Frãciſcus Stancarus Zuinglianus Arabonarius.

In adessendo. *Esse cum pane.* *Esse sub pane.* *Suencfeldiani.*

Domini quidem adesse concedũt, sed eorum alii, quòd sub pane, alii cum pane, alii in pane, alii circa panẽ. Huc Suencfeldiani accedũt ab instituto Lutheri lõgiùs progressi, qui adeò verum corpus Domini negant esse in Eucharistia, vt non dubitent Christi naturale corpus posteà, quàm in cœlum ascendit, in diuinam naturam trãsmutatum esse, cõtendere: ac propterea externa signa esse vana, internũ solum spiritum sufficere. Sed longiùs ista hęresis patet, quã pro hac epitome.

III. *Tertiꝰ immũdꝰ spũs Melãthon filius Lutheri, & pater Confeßionistarum.*

CATALOGVS SECTARUM *inter Confessionistas.*

TErtius immũdus spiritus, quẽ instar bufonis euomuit pseudopropheta Lutherus, fuit secta cõfessionaria: cuius Princeps & Coryphęus

vphæus extitit Philippus Melanthon: sed inuidia sociorum ab hoc gradu penè depulsus, vix, aut ne vix quidem inter medios hæret, miser & afflictus senex. Eius Homologisticæ sectæ præcipuus scopus fuit semper, sedem Apostolicam, & quod in Christiana fide Catholicum est (ne videlicet vlla sit Apostolicarum clauium potestas) funditùs delere. Etenim huc Augustana Confessio tendit, huc socialis conspiratio nititur, huc omnes conatus & vires (quemadmodum compertum est) direxerunt Melanthonii. At verò, quoniã est ἑαυτῷ φθαστικὸν τὸ κακὸν καὶ διαιρετικὸν, ipse sibi id malũ accersiuit, quod erat machinatus alteri. Variæ autem sectæ Homologistarum emerserunt breui tempore, atq; subitò: quas,

Philip. Melanthon Homologistes.

quas, ne confuse recitentur, distinctè commemorari illas oportebit κατὰ τὰ γένη καὶ εἴδη: multiplex enim hæc colluuies est, & in diuersas dissecta familias.

Cõfessioni sarum factiones tres.

Confessionistarum igitur, qui Augustanam Confessionem profitentur, sunt factiones tres. In quarũ prima Rigidi & Stoici Confessionistæ ponuntur (Melanthon illos θρασυδείλους appellat, vulgo Illyricani dicuntur) homines nimirum eiuscemodi, qui à placitis Lutheri, siue bona illa, siue mala sint, penitus non recedendum arbitrentur. Latè hæc Illyricana secta patet: totam enim Saxoniam occupauit, & pleraque vrbes Germaniæ superioris, & totam Turingiã. Præcipui autẽ duces sunt, Illyricus, Gallus, Amsdorfius, Sneppius, Morlinus, Vuest-

1

Rigidi & Stoici Confessionistæ, vulgo Illyricani.

Illyricus. Gallus. Amsdorfius. Sneppius. Morlinus.

Vueſtphalus, Sarcerius. Abſurdiſsima autē quæq; Lutheri mordicùs ſibi defendenda putant, vt nullum homini eſſe liberū arbitriū, omnia euenire neceſſariò, vt ne liberum quidem præbere aſſenſum homo poſsit, adeoq; hominem non plus ſentire, quid in ſe Deus agat, q̃ incus, quid malleus. Opera non eſſe neceſſaria ad ſalutē: nullos ritus aut cęremonias in Eccleſiā admitti oportere: eiuſdemq; generis alia, q̃ tamē Luth. partim ambiguè ſcripſit, partim retractauit. Itaq; hi Stoici Cōfeſsioniſtę cū cętera ſint rigidi Lutherani, tū in hiſce, q̃ iā recēſuimꝰ; Luthero aſſentiri videnť in genere p̄ter alios, in ſpecie aūt degeneres ab eo lōgiùs receſſerūt: nā & ipſi diuerſis diſſenſiōibus diſtracti ſunt. Quidā em̄ illorū ſunt Antinomi, q legē neq;

Vueſtphalus.

Sarcerius.

Antinomi.

quas, ne confuse recitentur, distin-
ctè commemorari illas oportebit
κατὰ τὰ γένη καὶ εἴδη: multiplex enim
hæc colluuies est, & in diuersas dis-
secta familias.

Cõfessioni-starum factiões tres.

Confessionistarum igitur, qui
Augustanam Confessionem profi-
tentur, sunt factiones tres. In quarũ
prima Rigidi & Stoici Confessio-

1

Rigidi & Stoici Confessiõistæ, vulgo Illyricani.

nistæ ponuntur (Melanthon illos
θρασυδείλους appellat, vulgo Illyrica-
ni dicuntur) homines nimirum
eiuscemodi, qui à placitis Lutheri,
siue bona illa, siue mala sint, peni-
tus non recedendum arbitrentur.
Latè hæc Illyricana secta patet: to-
tam enim Saxoniam occupauit, &
pleraſque vrbes Germaniæ supe-
rioris, & totam Turingiã. Præcipui
autẽ duces sunt, Illyricus, Gallus,
Amsdorfius, Sneppius, Morlinus,

Illyricus.
Gallus.
Amsdorfius.
Sneppius.
Morlinus.

Vuest-

Vueſtphalus,Sarcerius. Abſurdiſsima autẽ quæq; Lutheri mordicùs ſibi defendenda putant,vt nullum homini eſſe liberũ arbitriũ, omnia euenire neceſſariò, vt ne liberum quidem præbere aſſenſum homo poſsit,adeoq; hominem non plus ſenture, quid in ſe Deus agat,q̃ incus,quid malleus. Opera non eſſe neceſſaria ad ſalutẽ:nullos ritus aut cęremonias in Eccleſiã admitti oportere:eiuſdemq; generis alia,q̃ tamẽ Luth.partim ambiguè ſcripſit, partim retractauit.Itaq; hi Stoici Cõfeſsioniſtę cũ cętera ſint rigidi Lutherani,tũ in hiſce, q̃ iã recẽſuimꝰ, Luthero aſſentiri videnť in genere ꝑteralios,in ſpecie aũt degeneresab eo lõgiùs receſſerũt: nã & ipſi diuerſis diſſenſiõibus diſtracti ſunt. Quidã em̃ illorũ ſunt Antinomi, q̃ legẽ neq;

Vueſtphalus. *Sarcerius.*

Antinomi.

neque ante, neq; post iustificationem iudicāt necessariā esse. Quanquam Lutherus ipse eius sectæ primus autor fuit, vt ex variis eius scriptis ostendi potest: postea tamen cùm Islebius idem asserere cœpisset, edidit multas disputationes in cōtrariam partem. Deinde sunt inter hos Stoicos Confessionistas quidam Samosatenenses: qui negant in principio Euangelii Ioannis dictionē, ὁ λόγος, personā significare. Illyricū eius antiquæ hæreseos resuscitādę autorem patefecit Melāthon in sua epist. ad M. Vuarmerum Barbensem. Sunt & Inferiani in eadem factione Rigidorum: hi autem negant Christum reipsa descendisse ad inferos: infernum enim esse suum cuiusque sepulchrum. Lubecæ & Hamburgæ

Islebius.

Samosatenenses.

Inferiani.

&

& Bremis ea secta grassatur. Sunt Antadiaphoristæ: quorum alii nõ nullas cæremonias admittunt, sed quas ipsi instituunt nouas, non veteres: alii planè nullos ritus, nisi quos Lutherus præscripsit, ferri in Ecclesia existimant oportere. Extant Illyrici, & Galli, & aliorum variipro hac secta conscripti tractatus. Sunt Antisuencfeldiani, qui cùm Suencfeldium refutant, omnia ponentem in spiritu, literam prorsus reiicientem, ponunt illi contrà omnem viam salutis in vocali verbo Ecclesiastici ministerii, sine quo neminem credunt salutem consequi posse. Sunt & Antosiandrini: sed hi admodum varii: petita enim sunt à plerisque Confessionistarum Ecclesiis de Osiandri dogmatibus iudicia, præsertim

Antadiaphoristæ.

Antisuencfeldiani.

Antosiandrini.

de iustificatione, quod innouârat Osiander: responsa singularum Ecclesiarum typis excusa prodierunt, sed ita diuersis contrariisque pronunciata sententiis, vt quatuordecim iustificatiões inter se penè omnes pugnantes prolatæ fuisse legantur, dum alii sanguinem Christi, alii passionem, alii satisfactionem, alii transitum illius, esse formalem hominis iustificationem assererēt.

Anticaluiniani. Sunt præterea Anticaluiniani: qui tametsi perpetuam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam de Eucharistia non amplexi sunt, id tamen pro catholico consensu contra priuatam opinionem Caluini rectè defendunt, corpus Domini verum & naturale esse in Eucharistia, nõ tantùm ἐνεργείᾳ corporis. Ioachimus Vuestphalus pleraque edidit hac de

de re. Sunt Manusimpositorii, qui in Pomerania altercantur, vtrum impositio manuum sit Sacramentum. Cuipstro contendit vehementer, Frederus repugnauit obstinatè. E Grypesualdo serpsit ea sectaria contentio in alias quoque prouincias. Bisacramentales appello eos, qui solummodò Baptismũ & cœnã Domini in Sacramẽtis ponunt. Ita sentit maxima pars Illyricanorum: tametsi alii iam incipiant Melanthoni applaudere. Sunt contrà Trisacramentales, hoc est, qui tria Sacramenta admittunt, neq; plura neq; pauciora. De prima factione Confessionistarum hactenus.

Manusimpositorij.

Bisacramẽtales.

Trisacramentales.

In secunda Confessionistarũ factione molles illi philosophi & elegantes ἐπιεικεῖς habentur: quorum princeps Melanthon est, &

II *factio.* *Molles philosophi cõfessionistę.*

Melãthon.

Maior. Maior & Furſterus & Pomeranus,
Furſterus. Lipſenſeſque Theologi, Pfeffin-
Pomeranꝰ ger, Camerarius, Menius, & farinæ
Pfeffinger eiuſdem conſimiles.
Camera-
rius.
Menius.

Priuata his dogmata ſunt, & tamen inter aliquot ipſorum communia, eſſe liberum arbitrium, fidem principaliter, opera bona minùs principaliter iuſtificare, de particula, Sola, nõ eſſe dimicandum, & quòd de cœna Domini Caluinus rectiùs ſentiat, quàm Lutherus: & quædam fortaſſis præterea.

Sed quod hæreſeos proprium eſt, nec iſti quidem de fundamento concordes ſunt. Maioriſtę enim docent, quòd bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem, quòd nemo abſque bonis operibus ſit ſaluatus, quòd abſque bonis operibus impoſsibile ſit quenquam ſaluum fie-

Maioriſtæ

ri.

ri. Adiaphoriſtæ ἀδιαφορίαν introduxerunt, aſſerentes Eccleſiaſticas conſtitutiones & cæremonias eſſe res indifferentes: quas ſiue obſerues ſiue repudies, in pari eſſe conditione atque iure. De vtraque illa ſecta multi libri vltro citroque ſcripti leguntur paſsim. *Adiaphoriſtæ.*

Sunt quos Quadraſacramentales appelles, qui quatuor Sacramenta ex ſeptem recipiunt, Baptiſmũ, Euchariſtiam, Claues, Sacrum ordinem. Lutherocaluinianos eos dico, qui Berengarianum dogma de Euchariſtia ſic temperant, vt Caluini Sacramentariam hæreſin iam in Auguſtana Confeſsione à Principibus approbatam perſuadere conentur: id quod ipſemet Caluinus in ſua aduerſus Vueſtphalum admonitione de Melanthone teſtifi- *Quadraſacramẽtales* *Lutherocaluiniani.*

ſtificatur. Reperti quoque ſunt, qui inter Oſiandrinos & Antoſiandrinos ἀμνηςίαν ſanciendam cenſeant, vt diſsimulatis vtrobique erroribus, contentio tota tradatur obliuioni. Ita Illyricus in Apologia ſua de Melanthone. Medioſiandrini, ſunt Brentius, cæteriq́ue Theologi Tubingenſes: hi enim cùm Oſiander hominem eſſentiali Dei iuſtitia iuſtum dixiſſet, & Illyricani, hominem ſolùm imputatiuè iuſtũ haberi, correxerunt vtroſque media via interpoſita, quòd ſcilicet in hac vita homo imputatiuè iuſtus reputetur, in fœlici autem patria forc illum ea iuſtitia iuſtum, qua Deus ipſe per eſſentiam iuſtus exiſtit. Obſcuriores ſanè, quorum copia eſt, ſectarios perſequi non libet in hoc genere.

Amneſtitæ

Medioſiandrini.

Brentius.

In

In tertia factione sectæ quatuor reperiuntur, sed adeò inter se rebelles mutuò, & à superioribus diuersæ, vt quasi in alienis castris militare videantur. Quare tametsi non apertè quidem à Confessione Augustana resiliisse existimari volunt: at quia non obscurè tamen ipsi Luthero magistro suo ausi sunt obluctari, idcirco Recalcitrantes illos nominare possumus. Primas in hac factione tenent Suencfeldiani: qui Sacramenta omnia, in primisque vocale verbum ministerii, tanquam literam occidentem respuunt, & solo spiritu nos debere contentos esse, docent. Præterea humanam CHRISTI naturam posteà quàm in cœlum ascendit, in diuinam penitùs mutatam esse: itemque

III factio. Recalcitrantes philosophi.

Suencfeldiani.

& fidem, & charitatem, & iuſtitiam, quibus homo iuſtus efficitur, eſſe diuinæ naturæ particulas. Iudam non percepiſſe veram Euchariſtiam in cœna Domini. Hæc Suencfeldianorum præcipua ſunt, minùs grandia omitto. Libriipſius Suencfeldii multiplices verſantur in manibus hominum; legat, qui vult. Oſiandrini habent ea cum Suencfeldianis communia, quòd charitas & iuſtitia, & ſapientia (non tamen fides) quibus homo à Deo iuſtus & ſapiens conſtituitur, ſint ipſa Dei eſſentia. Priuatum Oſiandrinorum eſt, quòd Chriſtus ſolummodò iuxta diuinam naturam iuſtificet hominem: quòd item homo cùm ſit imago Dei, fiat omnino eadem imago Dei, quæ

Oſiãdrini.

quæ est Christus filius Dei & Mariæ. Prætereo hîc multa. Stancariani aduersus Osiandrum scribentes, vt contrarium tuerentur, affirmabant Christum iustificare hominem iuxta solam humanam naturã. Docuit idem Stãcarus, corpus Dñi in Eucharistia esse arabonem, seu pignus, quo quis quasi inuestiatur ad possessionem promissę gratiæ. Oppositi fuerunt se Francfordienses Theologi Antistancariani: & quô Stancarum expeditiùs refellerent, contendebant Christi diuinam naturam quoq; vnà cum humana in cruce passam, mortuãq; fuisse: idq; ipsius Lutheri iudicium esse affirmabant, vt edita quaternio ostendit.

Stancariani.

Antistancariani.

Emersimus tandem ex pestilẽti illo cœno hæresium atque Hæreticorum:

ticorum: quos, vt memoriam iu-
uem Lectoris, in tabella, & in sua
quenque classe turmatim dispo-
nam conspiciendos: vt, cùm no-
mina illorum in cœlis scripta non
sint, in terris non penitùs oblitera-
ta interiisse videantur. At in ea ista
trium immundorũ spirituum cra-
pulãte exhalatione, est, nescio quæ
notatio fatalis. Spiritus enim Ana-
baptisticus fecem plebis inuasit. Sa
cramentarius dementauit ciues po
tissimùm. Homologistes verò in
aulas Principum irrepsit: adeoque,
vt primus immundus spiritus au-
tor sit rusticanæ infidelitatis, secun
dus ciuicarum hęresium pater, ter-
tius aulicæ dux peruersitatis. Cùm
autẽ vna esset fides anteà, vna vox
omnium, siue illa ruri, siue in vrbi-
bus, siue in aulis audiretur: nunc
verò

verò hic ſpiritus inſtar ranę quaxat in agris, ille inſtar rubetę tumet intra mœnia: tertius micat veluti bufo in tricliniis Magnatum: ſed omnes æquè venenum ſpirant, dum inſtant more ſuo contra vocem Eccleſiæ matris noſtræ.

Apoca.16. Draco, Bestia & Pseudoprophetæ Lutherus.

I. Spiritus immūdus Bernhard' Rotman, filius Luthe. & pater Anabaptistarū
- Adamitæ. 1
- Sabbatarij. 2
- Clancularij. 3
- Manifestarij. 4
- Dæmoniaci. 5
- Stebleri. 6

Anabaptisticæ sectæ.

II. Spirit' immundus Zuinglius seu Carolostadius, filius Lutheri, pater Sacramētariorū.
- Significatiui. 1
- Tropistæ. 2
- Energici. 3
- Arabonarij. 4
- In adessendo. 5
- Esse cū pane. 6
- Esse sub pane. 7
- Spūales Suencfeldiani. 8

Zuinglianæ sectæ.

III. Spiritus immundus Homologistes, filius Lutheri pater cōfessionistarum.

I. Factio. Sūt rigidi Stoici Confessionistæ.
- Antinomi. 1
- Samosatenenses. 2
- Inferiani. 3
- Antadiaphoristæ. 4
- Antisuencfeldiani. 5
- Antosiandrini. 6
- Anticaluiniani. 7
- Manusimpositorij. 8
- Bisacramentales. 9
- Trisacramentales. 10

II. Factio. Sūt molles Philosophi cōfessionistę
- Maioristæ. 11
- Adiaphoristæ. 12
- Quadrasacramētales. 13
- Lutherocaluiniani. 14
- Amnestitæ. 15
- Mediosiandrini. 16

III. Factio. Sūt recalcitrātes Cōfessionistæ.
- Suencfeldiani. 17
- Osiandrini. 18
- Stancariani. 19
- Antistancariani. 20

Confessionariæ sectæ.

DOctores quidem recentioris euangelii, sunt isti præcipui. Quorum opiniones & sectæ cùm tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profectò potest, vt earum nulla sit vera, quod contrariis sæpe solet euenire: alterum certè non potest, vt plus vna vera sit, quemadmodum in contradictoriis perspicuum est. Qua quidem de causa, cùm nulla hæresis possit esse vera, necesse est, si quando Hæretici inter se commissi digladiãtur, vt de contrariis sententiis dimicent, & horum neutra sit vera. Eademq; de causa fit, quòd cùm duæ hæreses sint inter se contrariæ, & tamen oppugnent Ecclesiæ doctrinam, necesse sit, contradictoriam sententiam opponi vtrisque: vt, quia alterutra contradictoria-

ctoriarum ſemper vera eſt, altera falſa, veritas Eccleſię per contradictionem, frenum aduerſariis inii-cere poſsit.

Atqui vnicum hoc impedimentum ſemper ferè obſtat Hæreticis, quô minùs poſsint, etiam ſi maximè velint, redire in concordiam. Etenim quæ vnquam magna hæreſis extitit, quæ non confeſtim à capite in minutas partes diuiſa? quæque non æquè contraria fuerit alicui alteri hæreſi, atq; infeſta ipſi Eccleſiæ?

Cognita peſtis eſt Marcionis, vnde Manichæi profecti ſunt: nec ignotum virus Pelagii: quorum ſectę nõ minùs ſibi mutuò, quàm ignis aquæ, aduerſabantur. Altera enim contendebat (exempli cauſa hoc ponam) nuptias adeò bonas eſſe,

vt

vt in illis nihil insit mali, nihil peccati: altera contrà, adeò illas malas esse, vt etiam per sese malum sint. Ex diametro ista inter se contraria enunciata sibi repugnant, nec minùs etiam infesta Ecclesiæ, quàm aduersa sibi. Ecclesia igitur, vt refellat vtranque hæresin, Marcionitis contradicens opponit, quòd nuptiæ bonæ sint propter diuinum ordinem, legitimumque earum vsum: Pelagianis, quòd aliquę nuptię malę, propter deprauationem ordinis, & abusum. Mansit hæc doctrina Ecclesiæ, vtraque illa hæresis periit. Ex illa Marcionis Lernæa hydra plura subinde capita procreata legimus. Inde Lucianistarum secta ortum duxit, qui signis aliquot immutatis, rē Marcionis defenderūt:

inde

inde prodierunt Appellíani, qui magiſtri ſui diſciplinã altera parte correxerunt, locupletauerunt altera: inde Serueriani orti, quædam Marcionis amplectebantur, quædam abiiciebant, repoſitis nouis quibuſdam, & ſuis: inde demum Manichæa peſtis emerſit, qua vix vlla pernicioſior, vt D. Epiphanius & Auguſtinus cenſent, ſecta vſquã comperta videtur: quæ refoſsis Manichæorum ſepulchris Marcionii cadaueris fœtore, maximam Chriſtiani orbis partẽ per Lutheranos infecit, atq; corrupit. Quanquam haud minor pernicies ex Ario profecta eſt. De cuius ſectæ ſchiſmatibus placet ex D. Epiphanio hiſtoriã huc adſcribere, vt quod ſuprà commemorauimus, cõſtet eſſe verum: omnium hæreſium id virus proprium

proprium esse, primùm vt inter se discordes, & in varia schismata diuulsæ atque dilaceratæ sint: deinde vt mutuo se odio atque bello consumant tandem.

Epiphanius itaque libro 3. in historia & refutatione Hemiariorum & Arianorum:

Εκ τῆν βασιλέως δὲ διηρημένοι, βουλόμενοι λῦσαι τὸν σύνδεσμον τῆς ἀληθινῆς ὁμολογίας, νόθον τινὰ καὶ εὐάλωτον ἐκπαντα χόθεν ἀπολυτὴν ἔθεντο ἔκθεσιν, &c. ἔφημεν γὰρ πῶς εἰς τρία τάγματα ἡ τῆν ἀρειανῶν διερέθη τάξις, ὡς ὁ μὲν εὐδόξιος, καὶ γερμανὸς, γεώργιός τε ὁ ἀλεξανδρεὺς, εὐζωΐος τε ἀντιοχείας εἰς ἓν τάγμα ἀποχίσθησαν. βασίλειός τε ὁ ἐλεύσιος εὐστάθιος, ὁ γεώργιος ὁ λαοδοκείας, σιλουανός τε ὁ ταροῦ, καὶ μακεδόνιος ὁ κωνσταντινωπολίτης, ὁ ἄλλοι πλείους ὡσαύτως, εἰς ἓν τάγμα διηρέθησαν. ἀκάκιος δὲ πάλιν, ὡς προεῖπον, ὁ μελέτιος, ὁ εὐτύχιος, καὶ ἄλλοι τινὲς ἄλλο τάγμα, ὁ οὗτοι γεγώνασι, ὁ ἦν τὸ πᾶν κυβείας ἔμπλεον. ἁ γὰρ ἕκαστος ἐφόνει, ταῦτα καὶ ὁ ἕτερος οὐκ εἶχεν, εἰς σχίσματα

ἐδιηρέθησαν πρὸς ἀλλήλους, ἢ μίσει τινὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους.

Græcè quidem hæc, vt alia quædã Patrum teſtimonia citaui, nõ quia ineptiæ me eius linguæ delectent, ſed quia ſolent plerique cauillari ſecùs haberi in fonte autoris, idcirco ne dubitet lector de fide, produxi eos, vti ſcripſerunt. Sed ita Epiphani⁹ Latinè fortaſsis: Illi verò qui ex parte Baſiliana diuiſi ſunt, cùm vellent verę confeſsionis vinculum diſſoluere, adulterinã, quæ facilè capi, quæ ex omni parte diſſolui potuit, expoſitionẽ poſuerũt. Dicimus enim, quòd in tres ſtationes Arianorũ exercitus diuiſus eſt: adeoq́; vt Eudoxius & Germanus, Georgiusq́ue Alexandrinus, & Euzoius Antiochenus in vnam ſtationem abſciſsi conceſſerint: in ſecundam

dam Basilius, Eleusius, Eustathius, & Georgius Laodicenus, & Siluanus Tarsensis, & Macedonius Cõstantinopolitanus, & alii quidam complures similiter. Acacius verò rursum, vt anteà dicebam, & Meletius, atq; Eutychius, & item alii in tertiam venerant classem. Eratque vniuersum negotiũ plenum vanæ nequitię. Etenim quę pro se q̃sque sentiebat, eadẽ alius non habebat, sed in mutua diſsidia diuulsi sunt odio quodam inter se mutuo.

Hoc exemplũ si cum Lutheranorũ mutis inter ipsos schismatibus compares, quid hi nunc aliud, q̃ illi quondam? Res per se patet, non est opus declaratione. Quæ D. Epiphanius de illis Hęresiarchis cõmemorat, eadẽ Augustinus tũ de eisdem, tum de Donato scribit etiam. In

lib.1.de Baptiſmo cõtra Donatiſtas obiicit illis iſtam diſcordem Donati diuiſionem: Quãto ergo, inquit, magis, quia eadem pars Donati in multa fruſta conſciſſa eſt, quæ omnes minutæ particulæ, hanc vnam multò grandiorem, in qua Primianus eſt, de recepto Maximiniſtarũ baptiſmo reprehẽdunt, & ſingulæ conantur aſſerere apud ſe tantummodo verum baptiſmum mãſiſſe. Externa iſta ſunt: domeſtica, ſi placet, cõſideremus. Etenim vna ſecta Huſsi quot alias peperit diuerſas hæreſes? Ex nominum diuerſitate licet notare confuſionem. Alii ſe fratres Vualdenſes ſalutant, alii volũt ſe Taboritas nominari, alii Piccardi vocantur, Grubenheimeri alii: ſunt etiam, qui ℔ calicis fiant in Euchariſtia participes, ſibi nomen fin-

finxerunt, vt Calixtini appellẽtur: itemq; alii aliter, cõplures sunt eñ.

An simile quiddam mortuo Luthero euenerit, non est obscurum: siquidem viuum se discindi vidit, sensitque inuitus. Quid enim Thomas Munzerus, Dux rusticani tumultus? quid Bernhardus Rotman autor anabaptismi? quid Carolostadius? quid Zuinglius? quid alii complures? Omnes profectò nouationis suę initium acceperunt à Luthero, medium corpus atque caudam de proprio affinxerunt & suo. Post verò mortem illius Prophetæ, Deum immortalem, quæ schismata non secuta sunt? Mathias Flaccus aliud in mortuo Luthero vidit apud Saxones: aliud Maior in viuo apud Vuittenbergenses: aliud Osiander apud Prutenos:

tenos: Inferiani aliud in maritimis vrbibus, aliud apud Manſueldēſes Sarcerius, diuerſum quoq; in Sueuia Brentius, in Sabaudia diuerſum Caluinus.

Res plena prodigii eſt atq; miraculi: nam etſi vniuerſo orbi iam innotuit, iſtos Prophetas tam fœda diſcordia ac furioſa ſe mutuò dilaniare: tamen ſi roges illos in confeſſu Catholicorum, cur ita ſint in doctrina confeſsionis ſuę diſcordes, negant illi confeſtim: imò aiũt contrà, ſe vnanimes Auguſtanam Confeſsionem amplecti, in fundamento conuenire, nihil eſſe inter ſe diſſenſionis. O incredibilē impudentiam. Meridianus ſol tenebras iſtas coarguit. Præcipui articuli Cõfeſsiõis illius ſunt, de perſona Chriſti, de peccato, de libero arbitrio, de iuſtifi-

iuſtificatione & iuſtitia Dei, de fide, ſpe, & charitate, de pœnitentia, de bonis maliſue operibus, de Sacramentis, atque horum numero, de Baptiſmo, de Cœna Domini, de Eccleſia, & huius iuriſdictione, & ceremoniis, & multis aliis rebus præterea. De hiſce autem articulis diſſidere, ſi id non eſt diſſidere in fundamento Chriſtianæ fidei, fateor equidem me, quid euangelicæ doctrinæ fundamentum ſit, nō intelligere. At verò quid in hiſce iſtis articulis Auguſtanæ Confeſsionis eſt, quod ipſi Confeſsioniſtæ nō in mutua lite ponant, non controuertant, non rapiant iam in hunc, iam illū ſenſum, modò albū eſſe aſſerētes, modo nigrū, mox quis aliud?

Mihi ſanè Auguſtana Cōfeſsio, ſilicet liberè, quid ſentiam, dicere,

Heſiodeæ Pandoræ perſimilis eſſe videtur. Erat enim hæc aſpectu pulchra, gratiis decora, cuius in ore habitabat πότνια πειθὼ, & circa caput πόθος ἀργαλέος. Sed quid intus in corde?

εἰ δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος ἀργειφόντης
Ψεύδεά θ', αἱμιλίους τε λόγους, καὶ ἐπίκλοπον ἦθος τεῦξε.

Vnde poſteà quàm internuncio Herme, dono obtigiſſet hæc Pandora Epimetheo, omne genus morborum, atque calamitatum erumpebat. Non ſecùs profectò nunc Auguſtana Cõfeſsio: etenim quàm ipſa bella eſt? quàm fronte hilaris? quàm gratioſa? quæ in ore illius ſuauiloquentia, & πότνια πειθὼ? tum quàm ardenti deſiderio eius plerique mortalium flagrãt? Nimirum quem præ ſe characterem gerat, & quem

quẽ titulũ, vide. Puri euangelii doctrina est: principes eã ꝓfessi sunt: status imperii subscripserunt: omnes in ea sunt concordes atq; beati. Hæc certè eius Homologeticæ Pandorę facies est, hic illius aspectus, hæc cutis, hoc externo cultu foris fulget, atque coruscat. Verùm quid in vario illo cordis recessu occultat, quid nutrit?

Ψεύδεάθ', αἱμιλίους τε λόγους, καὶ ἐπίκλοπον ἦθος.

Verũ'ne hoc, an falsum sit, mallem Medius fidius, nobis Prometheus edissereret, quã Epimetheus. Sed quia nos Germani propemobum sumus soboles Epimethei, videlicet prudentes in fine, post factum: ab euentu igitur poterit, credo, quæ hæc Confessionaria Pandora sit, non obscurè animaduerti.

Vtcunque enim ſuauem ſe ac blan dam prębeat foris, deieretque nihil in ſe eſſe diſcordiarum, nihil ciuilis belli, nihil funeſtæ cędis: tamen irrepamus in feneſtram pectoris, & ipſa illius viſcera intueamur: reperiemus continuò in huius Cõfeſſionariæ Pãdoræ pectore latere tot hæreſes, quot ſecunda pars huius libri cõplexa eſt: tot ſectas, quot pars tertia: tot fraudes ac dolos, quot prima. Quas verò cędes illa & ſtrages in Germania ediderit, hiſtorici ætatis noſtræ loquuntur: recens enim hominũ memoria eſt, q̃ cruentum fuerit infauſtumq́; noui iſtius Euãgelii principiũ. Scimus in ruſticano tumultu quid acciderit, & quid euenerit in Anabaptiſtarum oppugnatione: ſcimus quali euentu Tigurini Heluetii nouã diſciplinam

Euan-

Euangelii conati fuerint confœdatis ſociis tradere: nec excidit hominum memoria, quòd eiuſdem nouitatis occaſione Pruſsina Germanis eripuit Polonus, Solymanus Vngariam Regi Ferdinando. Taceo quæ poſtea ciuilia bella ſecuta, quæ factæ cędes Principum, quæ vrbes exuſtæ, quæ vaſtatæ ſint per totam Germaniã prouincię, quàm denique internecinis odiis diſcordiisque omnes omnium Principum, omnium ſtatuum, ordinumque animi inflammati atque exulcerati inſoleſcant: vnde, quid tandem in hac miſerabili rerum conuerſione euẽturum ſit, ſolus Deus exactè nouit, nos duntaxat ſpem diuinæ miſericordiæ fouemus. Quãobrem vt ita concludã, quẽadmodũ exorſus, nemini dubiũ eſſe po-

poteſt,ſi bonum ſui eſt cõſeruans, & ſui deſtructiuum malum, quin ex Gamalielis vaticinio,ſpem eam nobis haud incertam polliceri poſſimus, fore denique,vt Eccleſia ab his diuturnis malis aliquando liberata,pacem ſit habitura ſuam,& hęreſes in ſeſe reuolutæ, interiturę ſint tandem. Hoc fac clementiſsime Deus,& citò. Da etiã Spiritum ſanctum tuum, ſpiritũ pietatis Catholico Clero,vt turpitudinem vitæ deponãt, vt mores ſuos prauos emendent,& induant honeſtos,vt ſcandala tollant & abuſus in Eccleſia,atq; ita viuant ex more maiorũ, ne quid contra Deum & antiquos canones temerè peccare iudicetur.

FINIS.